



Dissert. ex jure civ.

B.

55.

5
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
JURE XI. DIERVM
CALENDARIO
SVBTRACTARVM. *170*
2

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBURGICO, ELECTORATVS
HEREDE, ac reliqua,

PRÆSIDE
JACOBO BRUNNEMANNO,

J. V. Licentiato,
D. V. Ianuar. MDCC. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subiicit

PHILIPPVS WILHELMVS von dem Busch/
Eques Gvestphalus.

Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typ.

A

DISSERTATIO IURIDICA
JACOBUS DIERING
GALLIENI DARIO
SUBTITULUM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
FRIDERICUS WILHELMUS
JACOBO DIERING
PHILIPPUS WILHELMUS





INGRESSVS.



Vstinuimus publico expo-
nere Controuersias, in quibus enu-
cleandis, sequaces applaudentesque
fortassis connumerabimus aliquos;
præeuntes vero habuimus nullos. Et
qui habere potuimus quorum spici-
legia colligeremus, cum nulla hucus-
que hujus rei messis deprehensa fue-
rit? Scilicet ipsa correctio Calendarii est res, quæ cum
Phænice, vix unica vice comparavit septendecim sæculo-
rum decursu. Vt inde non adeo admiratione dignum
videatur, de præsentibus controversiis ex mutatione Ca-
lendarii oriundis, ne per somnium quidem cogitasse
Iuristarum veterum turbam, anxie satisque ambitiose ali-
as corrogantem, quæ ad illustrationem *temporis legalis*
juridiceque considerati quocunque modo facere, persuasa
est. Certe quos auide consuluimus circa controuersias
hasce, illi absque solatio minime vero absque tædio dis-
pendioque temporis, nos dimisere, licet ex professo, quod
ajunt, justisque voluminibus materias nostræ affines, hoc
est, de tempore iuridico, tractauerint, nec de cetero per-
ituræ pepercerint chartæ. Lazarus Fœnutius *Tract. de*
momento temporis, tum & Marc. Anton. Bardus *de tempore*
utili & contin. primi fuere quos evolvendos censuimus, in-
de subsidium lucemque scenerari posse, persuasi. Ast per-
lustrationis finis & finem irritæ nostræ spei imposuit.
In Io. Caroli Antonell. *Tractatu de Legalis tempore*, uti
A 2 reli-

INGRESSVS.

reliquos mole superante; ita primo obtutu ibidem inuenisse nos putamus, unde ulteriori inquisitione supersedere liceret. Ast non feliciores, quam in reliquis præscriptionum legalium Commentatoribus, Oldendorpio, Quintil. Mandoño de *Casib. anal.* Alberico Gentili *Tr. de divers. temp. appell.* fuimus utpote circa cetera diffusis, de nostro vero Themate mutis magis quam piscibus aut ranis Seriphis. Sane cum Commentatores *Tituli D. de Verborum significatione*, quorum læta fatis seges est, nulli labori pepererint in eruendo jure, si annus *Bissextilis* uno die auctior fiat, *L. 98. ff. de verb. sign.* mirari subit, neminem sollicitum fuisse, quid iuris etiam sit, si annus uno aut pluribus diebus deminutior fiat. Enimvero, an hoc silentium exculent satis Pomponius, *in L. 3. & Celsus, in l. 4. § 5. ff. de Legib.* animi pendemus. Nos interim eo certiores lapsu-um veniam speramus ab æquis Censoribus; quo difficilius & nunquam antea tritum iter ingredi constituimus, nullo licet perito Duce, nullo comite instructi. Etenim in magnis ac arduis etiam voluisse satis est. Quare de reprehensione securi, laudem insuper habemus. Ceterum nobis lubricam & salebrosam calcantibus semitam, idem factum in animis lectorum exoptamus, quod experiuntur, qui scenæ theatroque inserviunt, quippe quos etiam fictis periculis obiectos, nescio quis benignior affectus Spectatorum pro salute periclitantium sollicitus, concomitari solet. Ita enim nulli dubitamus, benevole propensam voluntatem Lectorum abunde esse suppleturam, quæ ingenii, tum & temporis facultas, in arduo hocce negotio feliciter peragendo, denegavit.

CAP.

CAP. I.

De

Jure Principum Evangelicorum circa mutationem Calendarii.

§. I.

QVibus auspiciis autoritateque Calendarium, aut introducendum, aut introductum corrigendum emendandumue fit; acriter ventilatum est ab eo tempore, quo GREGORIVS XIII. Pontifex Romanus, pristinæ potestatis Antecessorum suorum memor, Christiano orbi Calendarium sua ope auspiciisque interpolatum, vel pro imperio obtrudere molitus est. Enim vero illi hanc curam relinquendam esse, qui in Ciuitate *Iure circa Sacra* gaudet, nullus genuinæ potestatis principiis imbutus temere inficiabitur. Cum enim in Calendario, vna cum temporis mensura, dies festi feriæque designentur, non potest non hæc cura ius Maiestaticum circa sacra arctius afficere, illique soli vindicari. Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. Lib. 3. clas. 1. c. 2. n. 17.* Quare a regia veritatis via non erraui asserendo, etiam ex hoc capite, Concilia Pontificesque potestatem circa mutationem Calendarii sibi arrogasse, reliquis Principibus obsequii receptionisque gloria duntaxat relicta. Constat quippe inter omnes, jam a tempore spiritualis, vel potius clericalis *Monarchie Hildebrandine*, Pontifices nil aliud fere egisse, quam vt credulis sæculis, per milites suos prætorianos, hoc est, Monachos, instar fidei articuli inculcarent, Sedi suæ omnem circa sacra disponendi potestatem vnice, vna cum clauibus Cæli Erebique, a Principe Romanorum per manus quasi traditas esse, conf. B. Zieglerus ad Lancellot. *Diff. pralim. §. 31.* Dn. Schilterus in egregio opere *de Libertate Ecclesiarum Germania.* Verum, postquam ex oriente Euangelicæ veritatis luce, tenebræ hæ simpliciorum temporum discussæ sunt; Ius etiam circa Sacra Maiestati Ciuili strenue vindicatum, ac postliminio quasi restitutum esse pristino

Calendarii
Emendatio
dependet a
Maiestatem
habente.

A 3

vig.

vigori. Quod inuictis rationibus dudum commonstrarunt, Marc. Ant. de Dominis, incomparabili thesauro antiquitatum medii æui, siue *Lib. de Republ. Ecclesiast.* H. Grotius *de Imperio Summarum Potestatum circa sacra.* H. Conring. *de Maiestatis Ciuilibus Autoritate circa sacra.* Dn. Pufendorff. *de habitu Religionis Christianæ ad vitam Ciuilem.* ut & in *der Einleit. zur Hist. der vornehmsten Staaten in Europa. Cap. XII. §. 6. 7.*

Circa emendationem
Calendarii
Principum
assensu opus
est.

§. II. Asserta vero tali modo Maiestatis ciuilibus potestate circa sacra, indeque fluentis emendationis Calendarii; eadem opera, & Principibus Germanicis Protestantibus illud Ius vindicabitur. Siquidem quod in exteris Regibus Principibusque Maiestas est, hoc stylo Iuris publici, *Superioritas Territorialis* vocatur, quippe quæ mensuram summi Imperii implet, & sola moderatione vocabuli, in reverentiam pristinorum Iurium Imperatoris haud dubie retenti, differre videtur a Maiestate. Interim si vel maxime liberaliter cum Pontificii Iuris Assertoribus ageremus, iis concedendo, Pontifici Calendarium emendandi Ius fuisse; nec tamen Principibus Evangelicis inuitis obtrudi potuit. Pontificis quippe Ius, per *Transactionem Passaviensem* insecutamque *Pacem religiosam 1555.* solenniter confirmatam *Pace Monasteriensi Artic. V. §. Ius Diæcesanum 26.* suspensum, eiusque Iurisdictio Ecclesiastica Principibus assignata est. Atque ex hoc capite *Papale* Ius Principum Evangelicorum commode posse deriuari, dudum eleganter euictum est a Dn. Sam. Strykio, *dissert. de Iure Papali Principum Euangelicorum.* Hinc etiam *Concluso Corpor. Euangelici*, infra pluribus commemorando, expresse legimus insertum: *Wie nun diese Calender-Veränderung aus der / denen Evangelischen Ständen des Reichs in & profanis zustehenden hohen Macht und Gewalt / bey dem Corpore Euangelico resoluret und beschloffen worden; Also wäre solches in denen dieser Calender-Veränderungen wegen in den Landen auszufertigenden Publications-Edicts insonderheit anzuführen. 2c.*

§. III

§. III. Quare quod Principes Evangelici, Calendario Romano eiusque receptioni, omnibus viribus sese opposuerint, iuraque sua hoc modo a Pontifice inuolari crediderint, prægnantissimas, semper creditum fuit, subfuisse causas. Requirit vero dignitas rei, tum & opportunitas temporis efflagitat, ut altius paulo rem repetamus, ac historiam vtriusque Calendarii, *Iuliani* scilicet & *Gregoriani*, a primis repetamus incubulis. Vtrumque tamen pro instituti ratione fiet. Nam instituto finium regundorum iudicio, contenti erimus illis, quæ ex emendatione Calendarii priuat publicique iuris limites attingunt, reliqua Mathematicorum circulis relicturi, deque iis non turbandis optimas cautionum tabulas oblaturi. Interim cui volupe est Romanorum computum nosse, is adeat Blondelli *sub Tit. Histoire du Calendrier Romain qui contient son origine & les diuerses changemens qui lui sont arriuez. in 12. avec fig.* tum & Petr. Ciaconii *Calendarium Rom.* Et Petr. Gassendi *Tr. eiusd. titul.* Sic vitia vtriusque Calendarii mathematica abunde patent ex summi Scaligeri, de *Emendatione temporum*, *Elencho anni Liliiani*, annexo commentario in *Canonem paschalem Hippolyti*, ut & eius Aduersariorum, Christ. Clauii, Dionysii Petauii, P. P. Ignatianorum, scriptis eristicis. Conf. etiam Strauchii *Dissertationes de Comput. Iulio-Constantin. & Gregoriano.*

§. IV. Relicta igitur Mathematicis illa controuersia, quodnam Calendariorum accuratius cursum Solis, legesque motus lunaris obseruet; paucis vtriusque Calendarii fata politica erunt consideranda. Equidem quod attinet *Calendarium Vetus*, illud a IULIO CÆSARE, primo monarchiæ Romanæ conditore, nomen trahere, tralatitium est. Hic quippe animum ad *Fassorum Romanorum* emendationem applicare coactus est, quoniam illi vitio Pontificum adeo turbati erant, ut neque messium feriarum æstati, neque vindemiarum Autumno competerent. Suetonius Tranquillus in *Iulio Casar. c. XL.* Indulserant quippe sibi intercalandi licentiam Pontifices, gratia odioque, teste *Censorino*, haud immunes, quo scilicet Magistratu vel citius
quis

Historia vtriusque
Calendarii.

De Calendarii Iuliani origine differitur.

quis abiret, vel diutius fungeretur. Etenim in republica Romana Formularum solennium interpretatio & Actiones apud Collegium Pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoquo anno praesset priuatis, Pompon. *in L. 2. §. 6. D. de Orig. Iur.* Vnde definire ausim, & Formularum & Fastorum calide excogitata combinatione, summam rerum Optimates paulatim ad se traxisse, externis quippe simulacris capto nec id sentiente Plebe, notante id Dn. Schiltero *Exerc. ad ff. XVI. tb. 42.* sed plenius demonstrante Excell. Dn. Thomasio, elegantissimo *de Nauis Iurispr.* Commentario. Cæterum, dum Cæsar Alexandriae esset, a Cæli siderumque motus peritis, quorum in Ægypto ingens proventus semper fuit, & imprimis *Sofigine* instructus, placuit ipsi anni Solaris, a *Calippo Cyzizeno & Aristarcho Samio*, diebus ccclxv. cum quadrante (VI. horis.) definiti, forma. Hi quatuor quadrantes diei, post quatuor annos fiunt unus dies, & ideo annus quartus est dierum ccclxvi. ac vocatus est *Bissextilis*, intercalatione facta, mense Februario, ultimo olim Romanorum. Igitur hanc formam Anni ut commodissimam omnes nationes Imperii Romani acceperunt, indeque factum, ut ad hæc usque tempora durauerit. Maxime postquam huic accessisset *Ara Christiana*, siue computus a Nato Christo, Auctore *Dionysio Exiguo* Abbate Romano, odio Diocletiani hoc institutum suscipiente. conf. Scaliger *de Emendatione Tempor. Lib. 3.* quippe quam, Carolus Crassus Imperator occidentis semper, obseruandam præcepisse fertur. vid. tamen Conring. *in doctiff. Censura Diplom. Ludovic. cap. 17. n. 3.*

De Nævis Ca-
lend. Iuliani.

§. V. Quamvis igitur satis sibi constare videretur Iulianus labor, experientia tamen, optima rerum magistrata, docuit, hanc computandi rationem in Calendario Iuliano initam, aut non exacte factam, aut non rite a Pontificibus postea perceptam, perturbationi causam præbuisse, inæquali anni magnitudine non accurate satis observata. Nam post *Claudium Ptolemaum*, exacta magis ratione inita, *Muhammedes Albatenius*,
cor-

CIRCA CALENDARIVM.

correcta Hipparchi & Ptolmai hallucinatione, anni solaris spatium CCCLXV. diebus, horis V. scrupulis XLVI. secundis XXIV. definiuit. Iuxta quem Calculum, vnus dies intercalaris in CVI, annis omitti debuisset. Perinde ALPHONSVS X. Arragoniæ Rex & Princeps inter Mathematicos, totidem dierum annum fecit quidem cum Cæsare, sed in quadrantis spacio variauit. Nam horas V. scrupulos XLIX. secundas VI. constituit, adeo vt iuxta eius computandi rationem, in Annis CXXXIV. fere vnus dies omittendus fuisset. Quare cum celeberrimi Mathematici in eo conspirent, *sex Horas* quolibet anno reliquas, non exacte satis computatas esse a Iulio Cæsare, non potuit non tractu temporis ingens inde perturbatio sequi. confer. Thuanus *Histor. lib. LXXVI. ad ann. 1582.* Inde enim factum est, vt *Æquinoctium vernum*, quod Christi nati tempore in xxiv. Martii inciderat, Nicænæ Synodi tempore, per tres dies fere retrocessisset. Singulis enim CCC annis intercidebant bini dies & horæ VII. in computo Cæsariano præteritæ. Hinc *solstitia* ac *Æquinoctia*, vtpote Cardines anni, tempore illo, quod intercescit inter IVLIVM CAESAREM & GREGORIVM Pontificem, diebus XIV, recesserat versus mensium principia. De quo pluribus vid. Gisbert. Voet. *Part. 3. Dissertat. p. 1351.*

§. VI. Quapropter de nãuis vitiisq; *Calendarii Iuliani* emendandis sæpius cogitatum est superioribus sæculis, vbi res maioris momenti ad Concilia Pontificemq; non referre, conscientia interesse credebatur. Hinc in Concilio Constantiensi (cuius aetate ex Vaticana Bibliotheca edidit Eman. Schelstraten, id temporis eidem præfectus) annitente Cameracensi Episcopo & Cardinali, Petro de Alliaco: in *Concilio Basileensi*, autore Cardinale Nicolao Cusano: in *Concilio Lateranensi* sub IVLIO II. & LEONE X. famosissimi Nicolai Copernici ope vsuris Pontificibus, varia agitata fuere consilia circa emendationem Calendarii Iuliani. Verum hæc omnia successu felici caruere vna cum INNOCENTII VIII. intentione, qui *Iohannem Regiomontanum* ex Germania Romam euocauerat ad Calendarium emendandum. Reassumserunt etiam institutum *Patres Concilii Tridentini* superiori sæculo habiti. Hinc ad hoc negotii serio animum appulerunt, ope-

Progressus
circa emendationem
Calendarii Iuliani.

B

ram



ram suam in hac re ipsis addicentibus potissimum *Luca Gaurico*, Pauli III. Mathematico, & *Petro Pittato*, discrepantibus quamuis hypothefibus imbutis. Nihilominus res hæc in herba suffocata est, Patribus ad finem tendentibus ac tempore exclusis, quam quidem rationem tradit an fingit, Continuator Annalium Ecclesiasticorum Cardinalis Baronii, *Henr. Spondanus tom. II. Annal. Eccles. ad Ann. 1582. pag. 800. Edit. Paris. 1647.*

Calendariū
Gregoria-
num expen-
ditur.

§ VII. Quod igitur a *Patribus Concilii Tridentini*, gloriam hanc soli Pontifici forte relicturis, non est præstitum circa emendationem Calendarii; illud GREGORIUS Pontifex XIII. sibi incumbere existimavit, eaque cura maiori in id annixus est, quod vereretur, ne idem in *Germania Cæsares molirentur*, idque ut *iuris Imperialis negotium susciperent*, quam quidem causam ingenue exprimit *Historicorum Romano-Catholicorum cordatissimus moderatissimusque Iac. August. Thuanus Hister. Lib. XXXVI. ad Ann. 1582.* Quare passim per *Italiae Academies peritos huius artis consuluit*, nec defuere consilia *Speronis Speronii, Macini, Moletii Mathematicorum Italorum.* Placuit vero haud dubie ipsi *Iunctini* artis suæ periti opinio, qui consultus, X. dies semel anno eximendos censuit, ac deinde quovis CXXX, anno, diem unum itidem eximendum. Tandem enim Pontifex amplectendum duxit *Antonii Lillii Medici sui oblatum Calendarium*, qui itidem eam rationem inierat, ut anno X. Dies qui excreuerant, eximerentur, totidemque dies ex *Epactis eicerentur.* Sunt vero *Epactæ XI. illæ dies*, quibus numero superat *Annus Solaris dierum CCCLXV. Annum Lunarem CCCLIV. dierum.* Hi XI. dies dicuntur *Epactæ* primi anni, secundo anno erunt bisundecim, hoc est, XXII. tertio anno debebunt esse XXXIII. Sed auferendus *Mensis XXX. dierum*, relinquentur III. dies, *Epactæ.* Atque sic incremento XI. dierum, & diminutione XXX. ubi opus erit, progrediendum vsque ad XIX. Annum. Tunc enim incidit *CYCLVS LVNÆ*, cuius periodus est nouendecim annorum; uti *CYCLVS SOLIS* annorum XXVII. spatio absoluitur. Hæc periodus XIX. annorum siue *Cyclus Luna* vocatur a *Censorino Annus Metonicus*, in *Calendariis vero Aureus Numerus* die

(Die Guldne Zahl) Nam hoc interuallo putatur Luna redire in illud punctum, a quo primum digressa erat. Thuanus *all. loc. conf.* & Spondanus *alleg. loc.*

§. VIII. Enim vero quæ contra hanc computandi rationem Gregorianam, ex mathematicis rationibus sunt deprompta a Iosepho Scaligero, in illo admirando, & ad omnem ætatem victuro opere, iudice Thuano, quod de *Emendatione temporum* composuit, ut & a *Mestlino Prof. Tubing.* illa præterimus secure, tanquam non pertinentia ad Edictum (vel si mauis Calendarium) Pratoris, potius rationes politicas nostrorum principum, quibus declinarunt Gregorianum Calendarium, trutinantes. Postquam igitur GREGORIUS Pontifex ab *Antonino Lilio Medico* suo sibi oblatum Calendarium adprobasset, *maxime ad S. Sedis suæ autoritatem pertinere existimauit*, teste Thuano *loc. alleg. ne quis alius hoc negotium susciperet.* Quare edita 1582. *Sexto Calendas Mart. Bulla*, (quæ extat quidem in *Dn. Linck. Diss. de Iure Calend.* sed ommissa est altera declaratio, hinc potest plenior videri apud Cherubinum in *Bullario Magno Romano Tom. II. pag. 455.*) hoc suum Calendarium, nomine suo ad æternam rei memoriam insignito, Orbi Christiano ad obseruandum non suavit, sed quæ Sedis huius est impotentia ac fastus, multorum seculorum obedientia cæca, in speciem legitimæ potestatis corruptus, mandauit. Cui mandato quidem mox paruere Hispania, Italia, suæ seruitutibus (Pontificiis) Prouinciæ; Ast in Gallia, (quæ libertatem alias Ecclesiarum suarum strenue vindicare notuit, quod vel ex doctissimo *Petri de Marca Archi-Episcopi Parisini opere de Concordia Sacerdotii ac Imperii* perspicere est,) non pari facilitateque receptum fuisset si hæc res a Rege (*HENRICO III.*) harum rerum gnauiter securo, eiusue *Consiliariis*, *digne propensa fuisset*, verba sunt ipsius Thuani. In Belgio vero nouus Dux Brabantia FRANCISCUS, Henrici III. Frater, ut gratiam Pontificis, in Bello contra Hispanos ipsi necessariam, aucuparetur, *Calendarium nouum* introducendum curauit, idque etiam a Protestantibus Belgis, interuentu *Auriaci Principis*, obtinuit.

A quibus Calendarium Gregorianum receptum est.

Causæ cur E-
uangelici Ca-
lendario no-
uo sese op-
posuerint.

§. IX. At vero in Germania, Pontificiis persuasionibus non ita faciles aures præbitæ fuerunt. Quamuis enim GREGORIUS *Cardinalem Madrucium* ad Cæsarem RVDOLPHVM, prima Comitia post MAXIMILIANI Parentis mortem *Augustæ Vindelicorum* celebrantem CIO IC LXXXII. mitteret, ad vrgendam receptionem Calendarii, in fumum tamen cineresque abiit eius spes. Nam cum Cæsar sub exitum Comitiorum materiam de *Calendarii Gregoriani* receptione Statibus proponendam curauisset, grauem repulsam desuper tulit ab AVGVSTO Septemuiro Saxonix, id temporis ingentis dignationis autoritatisque Principe. Postquam enim hic desuper consilia instituisset cum reliquis Evangelicis Principibus, & sigillatim cum VVILHELMO Hassiæ Landgrauio, rara in tanto fastigio peritia rerum mathematicarum imbuto, ex huius potissimum consilio, nomine Euangelicorum, Imperatori & Catholico-Romanis in hæc fere verba responsum est: Status Euangelicos non inficiari necessitatem emendandi Calendarii, hinc non de re ipsa consultationem esse, quam de rei peragenda modo. Verti in hoc negotio Cæsaris & sacri Imperii auctoritatem, quam cum indies Pontifex dolis ac machinis conuellere nitatur, non committendum esse, vt ipsi rem ad eius dignitatem atque adeo maiestatem tantopere pertinentem, neglexisse videantur. Anni qui nunc ab omnibus nationibus obseruatur rationem, a C. IVLIO CÆSARE institutam esse; dein CAROLVM M. Imperii in occidente conditorem, & Calendarium ipsum, & nomina mensium, Teutonice lingua dedisse Germanis. Canonem vero *Concilii Nicæni* de Paschali celebratione, non Pontificis Romani, qui ea potestate ac autoritate, quam nunc sibi vindicat, minime tunc fuerit, sed communi CONSTANTINI Cæsaris qui Synodo præfuerit, & Patrum decreto conditum esse. Cauendum igitur, ne Calendarii emendandi prætextu, nouam & inusitatam Pontifici in Imperii Maiestatem ac Cæsarem ipsum, Iurisdictionem & mandandi potestatem, tribuant, præsertim cum *inconsulto Cæsare, & non requisito Principum & Ordinum consensu, res tanta a Pontifice suscepta sit.* Hæc sunt

sunt rationum momenta ex *Thvano* potissimum desumpta, quibus Protestantes vsi sunt in arduo hocce negotio. confer. Schleid. *ad An. 1582. p. 151. & p. 200.*

§. X. Scilicet tota lis non de emendatione Calendarii ipsa Expenduntur illæ causæ politicae fuit, sed de emendationis modo, hoc est de habilitate Personæ, quæ hoc negotium sponte & non rogata, imo cum aliorum iniuria, suscepit. Animaduertit hoc iam suo tempore *LUTHERVS* dum alicubi de emendatione Calendarii fat politice philosophatur: Das ist die ganze Haupt-Frage darauff der Streit beruhet / denn man fraget nicht / ob es recht oder unrecht sey / daß man bißhero obberichtlichen Calender reformire und ändere / sondern wer es thun soll / als nemlich die Majestäten / Käyser / Könige / ꝛc. Zum andern muste es geschehen einträchtiglich / daß ein Geboth überall ausginge von denen / so es Befehl haben / sonst wo es ein Land ohne das andere anfinge / die weltliche Handel als Jahrmärkte / Messen und andere Geschäfte in eine wüste Verwirrung geriethen. Præterea non potuerunt non offendi Protestantes fat imperiosis *Bulle Papalis* verbis: *Pro data autem nobis (Gregorio) a Domino autoritate, hortamur & rogamus charissimum in Christo filium nostrum Rudolphum Romanorum Regem, illustrem Imperatorem electum, ceterosque Reges, Principes ac Respublicas, HISDEMQVE MANDAMVS &c. Quamuis enim Catholico-Romanensium aures ad fastuosum hunc stylum Serui Seruorum DEI fere obturuerint, Germanorum Protestantium tamen auribus insolens, ac ipsa desuetudine horridum quid hæc cantilena haud dubie sonauit. Hinc stolidum videbatur, exigere velle a Principibus, vt sponte sua summitterent fasces Fastis Pontificis, quippe cuius iugum a cervicibus suis depellere, tanto sanguine laboreque ipsis antea steterat. Fateor equidem, approbationem *Gregoriani Calendarii* non inuoluere simul approbationem Hierarchiæ Papalis; cum & *Anglia & Hollandia* citra deminutionem & Maiestatis & libertatis, illud receperint. Verum quod vsu venire solet illis, quibus ingentes aliquæ gazæ ac thesauri obuenerunt derepente, vt illos semper cum formidine custodire ac sollicita mente acribusque oculis*

culis eorum amissionem præuere soleant; Idem contigit Principibus nostris, quippe qui Dei immortalis beneficio, suis iuribus libertatique sese restitutos credentes, sollicitè illud evitare studuerunt, quod vel minimum prætextum pristini iugi subeundi præbere aptum erat.

Qua in re politica Pontifex peccauerit circa nouum Calendarium

§. XI. Cetera hunc respectum si fuisset, non conueniebat circa *Calendarii noui* assumptionem iusto scrupulosiorem se gerere. Et sane Pontifex GREGORIUS non leuiter in eo peccasse videtur, quod suum consilium cum Imperatore & Principibus in Comitibus per Nuncium non communicandum curauerit; aut si eius *Vice-Deatus* eousque *humanitatis* sese dimittere, ac commercium politicum cum Hæreticis institueret, ipsius Sanctitas non passura fuisset, Diplomate dispensatorio in plenissima forma teneræ nec alias ausuræ Imperatoris conscientiam consulere, eiq; potestatem Calendarium emendandi, ac desuper cum Protestantibus communicandi, facere debuisset. Hoc vero non factum esse, nec ullam communicationem cum Imperatore super emendatione Calendarii intercesse, multo minus Principum Imperii consensum, quorum intererat tamen maxime, requisitum esse a Pontifice, constat ex rationibus Principum commemoratis. Quare vix est vt Pontifex sibi ipsi non dicam scribat, dum in *adducta Bulla* fatetur, *nouam Calendarii restituendi rationem, rem esse, quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficiendam.*

Causa Theologica contra Cal. Gregorianum expenduntur

§. XII. Quapropter si Pontificis peruicacia non impedisset paulo ciuilius ambire consensum illorum Principum, quibus irritatis in procliui erat eludere eius conatum; certe reliqua dubia, theologica vocata, & mota a Gisberto Voetio *Dissert. Select. part. 3. de Sabbatho & Fest. vt & Micælio Histor. Eccles. p. 884.* vniuersalem receptionem eiusdem Calendarii vix sufflaminaura videbantur. Nam quod vrgebatur, esse *Calendarium Gregorianum ens Anti-Christi*, non tanti erat, vt non *Calendario Iuliano*, quod est ens Ethnici, obtundi potuissent importunius contradicentes. Nec maioris ponderis, quod *Calendarium Romanum supersticiosum Diuorum nominibus ac Numinibus oppletum sit.* Nam

Nam si de summa rei conuenisset inter Protestantes & Catholicos, huic malo vnica litura mederi potuisset. Cum qua obiectione eiusdem farinae reputabatur assertum; *Protestantes sic iudicari a Pontifice in diebus Festis, contra monitum Apostoli ad Coloss. II, 16.* quippe quod æque impertinenter adductum, quam applicatum est illud *Danielis VII, 25. Bestiam Cornutam tempus & tempora mutaturam esse.* Siquidem priori dicto Apostolus indigitatum iuit libertatem Christianam celebrandi festa nec ne, conf. *ad Gal. IV, 10.* & Dn. Arnold in *der ersten Christen Glauben und Leben.* Posteriori vero crude accepto, quilibet Calendarii Reformatorum in Bestiam Cornupetam degeneret. Denique nec illud penitius excutiendi multum scrupulum faceffere, iudicatum fuit, quod iuxta *Calendarium Nouum, Pascha plus simplici vice cum Iudeis & Hæreticis Quartodecimans in plenilunio celebrandum foret, contra mentem Patrum Concilii Niceni, qui hoc vehementer detestati essent.* &c. vid. Hauemann. *de Iur. Episc. cap. XI. §. 4.* Reinking. *de Regim. Secul. & Eccl. lib. 3. cl. 1. c. 2.* Enim vero non putarunt vnquam Cordatiores, autoritatem Canonum Ecclesiasticorum esse tantam, vt citra piaculum ab iis discedi non posset. Nec puto Christianos propterea cum Iudæo Appella in vnã classẽ compingendos esse, aut iis de præputio metuendum esse, si vel maxime vno tempore cum Iudæis Pascha celebretur. Religioni certe Christianæ hic nec feritur nec metitur. Hinc inuenias haud paucos qui persuasum sibi habent, Deo magis gratum fore, si non tam caueamus cum Iudæis vno tempore, quam vno corde, hoc est, duro & non spiritualiter circumciso, pascha celebrare. *Deutr. X, 16. Ierem. IV, 4. ad Rom. II, 29.* conf. B. Dn. Brunnemann. *in Meditation. sacris nuperrime edit. pag. 80.*

§. XIV. Quantum vero valoris ademptum fortassis sit du-
biis commemoratis, tantum addendum putamus politicis ra-
tionibus disuadentibus *Calendarii Gregoriani* receptionem.
Hinc Imperator RVDOLPHVS cognita Euangelicorum in repu-
diando *nouo Calendario* constantia, negotium differendum ra-
tus, veterem formam eo anno seruari mandauit. Limnaus
J. P. L. 1. c. 13. n. 57. Equidem propitiõra fata nactum *Calenda-*
rium

Calendarii
Iuliani &
Gregoriani
fata ad no-
stra vsque
tempora.

rium sequenti anno 1583. vbi a Cæsare & aliis Catholicis Statibus in *Bohemia, Moravia, Silesia, Lusatia* receptum est. Accommodarunt præterea etiam sese nonnulli Statuum Evangelicorum, infirmiores quidem metu offensæ Imperatoræ; potentiores vero facilitandis negotiis cum vicinis Catholicis intercedentibus sibi, aliisque commodis allecti. Reliquis vero sat constantiæ sub fuit in repudiando *Calendario nouo*, ipsorum exemplum strenue sequente *Patriarcha Constantinopolitano* pristinæ dignitatis, Romanæ æqualis, memore, sicque GREGORII petita per Legatum facta, vna cum reliquis Orientalibus Ecclesiis spernente, teste Phil. Nicolai in *Tr. de Reg. Christ. lib. 1. c. 1. p. 35.* Ex eo tempore sæpius tentatum quidem fuit concordiam toti imperio utilem in hac re stabilire, sed vano conatu. In *Conuentu Monasteriensi* punctus hic quidem in deliberationem venit, sed pari felicitate cum reliquis negotiis minime terminatus est. Hinc sequentibus *Comitiis 1654.* iterum reassumptus, sed instar pilæ, ad proxima Comitium vicissim reiectus est, vid. *Recess. de An. 1654. §. 158* Non defuere interim consilia, facilitandæ huic rei harmoniæque introducendæ causa exposita. Quid Blumius circa concordiam Calendariorum meditatus sit, perspicitur ex eius *Process. Cameral. tit. LXII. n. 3.* Iacobi Elrodi Consilium Ratisbonæ Statibus oblatum, illi iudice Dn. Fritschio in *Elect. Iur. publ. tract. 42. Ed. fol.* tutissime sequi potuissent. Sic nulli labori pepercit etiam, dum viueret, *Erhardus Weigelius* scientiis Mathematicis ultra communem sortem tinctus, & ob studium indefessum emendandorum factorum, immortaliter de communi patria meritis. conf. *Eius Specul. tempor. ciuil. aliaque solidissima scripta.*

Damna ex
obseruatione
vtriusque
Calendarii
recensentur.

§. XI. Quam grauisissima interim damna Imperio ex duobus hisce Calendaris enata sint, grauisissimi Sacratissimi Imperatoris nostri LEOPOLDI verbis, in *Decreto Cæsareo* ad Status præsentium Comitiorum Ratisbonensium, exposituri sumus: Nachdem die Römische Kaysersliche Majestät wargenommen / es auch gesanten Chur-Fürsten und Ständen / und sonsten männiglich nicht unbekandt ist / was die Ungleichheit des Calenders und dahero rührende doppelte Feyertage im Heiligen Römischen Reich /

Reichs eine lange Zeit hero für grosse Confusiones, und Unordnungen/ Verbinder- und Versäumnis/ so wohl bey den Reichs-Convenen/ in den Reichs-Geschäften/ und dann bey den Kayserlichen Reichs-Hof-Rath und Cammer-Bericht; in Gerichts-Sachen/ als auch sonst in den Commercien/ bevorab den Wechselfn/ so dann bey den Handwercks-Leuten und ihren Gesinde/ wie auch in dem Feld-Bau verursacht/ was auch sonst in den Gemeinschafts-Orten/ und wo zweyerley Religionen sind/ in den Fron-Diensten und sonst für Ungelegenheiten sich ereignen; sonderlich aber bey iht vorstehenden Türcken-Kriege im Königreich Ungern (quæ ratio per Dei gratiam nunc cessat) und andern Kayserlichen Erb-Ländern/ allwo der Neue Calender allein in Übung ist/ unter den Reichs-Kriegs-Völckern der Zahlung/ und anders halben/ für Verwirrung entstehen können/und dahero Allerhöchst-gedachte Ihre Kayserl. Maj. aus tragender treu-väterlichen Sorgfalt/ und Abwendung. *rc. vid. Dn. Fritsch. in Elect. Jur. Publ. Tr. XLII. Ed. fol.* Salutaris hæc Augustissimi Imperatoris nostri LEOPOLDI admonitio, iam initio præsentium Comitiorum Ratisbonensium proposita, tandem non sine fructu abiit, quin potius cum fine sæculi & finis hisce malis largissime in Germaniam redundantibus, impositus est.

§. XV. Constat quippe nunc inter omnes *Conclusum* *Conclus.*
Corporis Evangelicorum. D. XXIII. Septemb. hoc 1699. anno factum, *Corporis Ev.*
 vbi scilicet præuia debita deliberatione, vnanimibus votis potissimum placuit (I) Vndecim dies, post XVIII. Februarium, *ang. de emē-*
 stil. V. sequentes, eiicere 1700. anno, atque sic Festum D. *dato Calend.*
 Matthiæ 18. Februarii die celebrare. (II) Celebrationem Paschæ, neque iuxta Cyclum Dionysianum in Iuliano Calendario receptum; neque iuxta Gregorianum Cyclum; sed secundum calculum Astronomicum, vti Concilii Nicæni tempore factum, instituere. (III) Mathematicis Evangelicis iniungendum esse, vt cum Suecis huius artis peritis diligenter super eorum propositionibus conferant, quo tota res ad finem perducatur. (IV) Mathematicorum consilia eo dirigenda, quo

C

ab-

abusus Astrologiæ iudiciariæ pedentim ex Calendariis exterminentur.

Calendarium
Emendatum
susceptum vi
supremæ Prin
cipum Evang
potestatis.

§. XVI. Cæterum quemadmodum mox ab initio euicimus, hoc ius emendandi Calendarium, Euangelicis Principibus vi supremæ potestatis in *sacris & profanis* competere; ita *illi* etiam *solemni monito*, protestationis vicem sustinente, toti quam late patet Orbi declararunt, nullo alio fine institutam esse emendationem, quam vt in posterum, tempora Diesque Feriati, secundum cursum Solis, tum & regulas motus lunaris, quam accuratissime instituantur, ac inter reliquos Principes Christianos vno religionis vinculo cum iis colligatos, suauissimus in hoc passu deprehendatur concentus. Cuius rei certiores nos fecere Novellæ Hamb. d. 20. Nouembr. quarum verba adducere haud piget: Schließlichen so hat man ex parte Corporis Euangelici, in puncto des verbesserten Julianischen Calenders für gut angesehen / noch einmahl an Ihro Königl. Majestät zu Schweden / und dann auch an die Cron Engelland und die Herren General Staaten / ratione des Beytritts zu schreiben.

Illustratur
conclusum
Corporis Ev-
angelici cir-
ca Calend.

§. XVII. Denique 'quam caute ac prudenter Euangelici seiunxerunt suam emendationem a *Calendario Gregoriano*, patet abunde ex scripto, quod cum B. L. communicare non præter rem erit, cum totam hanc rem egregie illustret. Das Conclusum des Euangel. Corporis in der Calendar-Sache / von dem 23. Septemb. 1699. kömmt mit des Weigelii Vorschlag / was die reduction der Tage-Zählung / in gleichen daß die Ostern nicht Cyclisch / sondern Astronomisch auszurechnen ganz überein / darinnen aber differiret es / daß Weigelius eine perpetuirliche consonantz der Tage-Zählung intendiret hat / indem Er vorgeschlagen in 400. Jahren drey Tage auszulassen / dahingegen dieses Conclusum bloß auff's nechste Seculum geht / und überlässet den Mathematicis also / vor dessen Verfließung auff's neue über Vermeidung künfftiger Discrepantz der Tage zu consultiren.

II. Ces.

II. Cessirt die Bedencklichkeit / als sey ige correction eine Condescendenz gegen die Catholische / oder eine Annnehmung des Gregorianischen Calenders / Massen (1) die Auslassung der 11. Tage etwas differentes hat von dem was jenerseits geschehen ist / und man die Zeit allein / dem Sonnen-Lauff gemäß / so wie alles zu Zeiten des Concilii Nicæni gestanden / einrichtet (2) bleibt solches ebenfalls das Hauptstück des Gregorianischen Calenders / der Cyclus Gregorianus weg / (3) ist die Astronomische Ausrechnung des Oster-Termins gleichsam eine alljährliche wiederholte real-protestation, daß man sich an das institutum Pabst Gregorii nicht binde / und gleichweil verursachet (4) der differente modus Astronomicus bey uns / und Cyclus bey Ihnen / die Ostern zu finden / keine differenz in denen Festis mobilibus, sondern sie fallen Excepto vnico rarissime contingente casu, alle Jahr zusammen und auf einerley Tage.

III. Dieser sehr selten sich zutragende casus, da Unsre Ostern umb 8. Tage späther / als die Ihrige kommen / entstehet so denn / wenn der Equinoctial-Bollmond den Sonntag zu nahe einfällt / da denn die Gregoriani Vermöge ihrer Cyclischen Rechnung gleich den nechsten Sonntag / als den immediate folgenden Tag zum Oster-Tag bestimmen / die der Astronomischen Rechnung folgende weichen so dann / die coincidentz mit der Juden Ostern zu vermeiden / in solchen Jahr umb 8. Tage weiter mit dem Ostern hinaus / und dieses zu folge einer bey der ersten Christlichen Kirche gebräuchlichen Regul und praxi da das Oster-Fest allezeit / wenn der Oster-Bollmond auff dem Sambstag gefallen / und solcher Sambstag den 21. Merz gewesen ist / auf den über 8. Tage folgenden Sonntag verschoben worden / wie Caluissius hie meldet.

IV. Ist nicht zu besorgen daß durch dieses conclusum Anlaß zu künftiger neuer Zeit und Fest-differentz gegeben werden möge / dann (1) die Tage-Zehlung belangendt so laufft solche das ganze künftige Seculum ohne die geringeste discrepantz vniformiter fort / binnen solcher Zeit wegen des Centurien Schalt-Tages sich schon ein Mittel finden wird / (2) so weicht der Cyclus Gre-

gorianus iehiger Zeit und viele Secula nacheinander von Himmels-
Lauff und den Canonibus vermercklich nicht ab / folglich coinci-
diren / biß auff den einzigen num. 3. bemeldten casum / die Cyclisch
gerechneten Ostern mit denen Astronomisch ausgerechneten alle Jahr.
(3) Auff den nach langen seculis erst zu befürchtenden und einige
Unrichtigkeit und notable Verschiebung der Ostern / so der Cyclus
Gregorianus verursachen dürffte / welcher auch um deswillen dis-
suadet wird / ist der Zeit eben nicht noth viel zu gedencfen / und
wird sich / wenn die Welt so viel Secula noch stehet / so denn schon
Rath finden / die neu-erscheinende Differenz zu vermeiden / zumahl
diejenige / so durch fleißig obseruiren sich an den Himmels-Lauff hal-
ten / zu solcher Discrepanz nicht Ursach geben / sondern die / so dem
unrichtigen Cyclo folgen.

V. Solte gleich künfftig / wie doch schwerlich zu vermuthen
ist / ein und anders in dem Gregorianischen Calender geändert
werden / so hält doch Unsere Astronomische Calculirung aller
Cyclischen wie accurat sie auch immer seyn möchte / allezeit die
Wage / und muste die etwa von ihnen vorgenommene Aenderun-
gen / wo sie nicht wieder den Himmels-Lauff / und die Canones
impingiren wollten / sich nach der Astronomischen / welche iho mit
der Gregorianischen Cyclischen ohne das zutrifft bequemen.

VI. Weil am besten ist / daß die 11. Tage zugleich und auff
einmahl herausgenommen werden / so hat man gut befunden / daß
solche elision immediate vor den 1. Mart. st. n. versüget werden
sollte / so daß die 11. Tage so nach den 18 Febr. st. v. folgen aus-
bleiben / und man an statt des 19. Febr. st. v. den 1. Mart. schreibt
welches auff dem Montag nach den 1. Sonntag in der Fasten
Inuo mit fällt. Es schicket sich aber die Auslassung der 11. Tage
um des Willen am bequemsten auff ged. 14. Febr. weil (1) kein
Fest-Tag in denen Wochen-Tagen / der folgenden 11. Tagen ein-
fällt (denn was die ordentlichen Sonntags-Evangelia belanget die
bleiben alle in ihrer Ordnung / nur daß sie auff andere Monats-
Tage verschoben werden /) der Matthias-Tag fällt an einem
Sonntag

Sonntag und ginge man selbigen ohne dem nicht irre / doch ist zum
 Überfluß dieses fest auff den 18. Febr. als den Sonntag vorher ge-
 setzt worden (2) weil solcher gestalt am bequemesten vermieden
 wird / daß beyde Cycli in keine auferwertige Discrepanz verfallen /
 welches sonst wenn die Auslassung der 11. Tage vor den 1. Martii
 des neuen Styli geschehen oder nach den 1. Martii des alten Styli
 nicht zu vermeiden wäre / geschehe aber die elision der 11. Tage
 zwischen diesen Tagen / so mußte beydes vom Februario und Martio
 des Julianischen Calenders einige Tage nicht gezehlet werden /
 welches mehr Unbequemlichkeit verursachte / als wann bloß im Mo-
 nat Febr. die sonst Vermöge des Schalt-Tages von 19. bis 29.
 beydes inclusivie gefällige 11. Tage heraus bleiben.

CAP. II.

De

Controversiis ex ablati XI. Diebus oriundis.

§. I.

Superiori capite plenius commemoravimus fata utriusque ^{Ingressus cir-}
 Calendarii, ultimo loco deprædicando felicitatem tempo- ^{ca præsentis}
 rum nostrorum, siue finem præsentis seculi, utpote quo ^{controversi.}
 finis simul incommodis ex duplici Calendario redundan-
 tibus, latissime impositus est. At vero minime existiman-
 dum esse iudico, tali ratione omnia in tuto circa hanc rem es-
 se collocata, nihilque turbarum ac strepitus forensis tribunalia
 amplius inquietaturum esse. Sane quod WILHELMVS Hass-
 Landgravius, cuius supra mentionem fecimus, iam ^{et la-}
 culum subueritus est de omnis generis difficultatibus & con-
 fusionibus, in iudiciis, contractibus & omnibus denique ne-
 gotiis civilibus, orituris propter elisionem ^{X. dierum ex Ca-}
 lendario Gregoriano vid. Dn. Linckii ^{Diss. de Kal. Cap. 4.} Illa in-
 commoda non possunt non & Calendarium emendatum, ut
 C 3 vm-

umbra corpus, sequi ac concomitari. Vti enim, cum superioris sæculi fine MDLXXXII. *Calendarium Gregorianum* introductum fuit, pariter X. dies subtracti sunt. vid. Bulla apud Laertium Cherubinum in *Bullar. magno Roman. tom. II. pag. 455.* Perinde etiam ex recipiendo *Calendario emendato* XI dies exterminati sunt, vnde computationem iuridicam temporum, per totum iuris ambitum sese diffundentem, valde alterari & turbari, necesse est. Interim non satis possum mirari altum illud silentium quod obseruatur apud JCtos, ita vt apud ipsos ne vestigia quidem controuersiarum iuridicarum, ex introductione *Calendarii Gregoriani* in terris Pontificiorum id temporis haud dubie ortarum, deprehendere licuerit. Certe de vna vel altera quæstione spectante hanc rem in *Comitiis Ratisbonensibus* consultatum nuper fuisse, fidem faciunt *Novella Hamburgenses d. d. Regenspurg 20. Novembr.* Ferner so ist auch vora kommen / wie es mit den Capitalien und Interesse / ratione der abgenommenen 11. Tage fünfftig zu halten. De qua controuersia, vt & reliquis iuris ciuilis, plura occurrent suo loco. Interim placet initium facere a iure Sacro siue Ecclesiastico.

Quid hic considerandum ratione mensium Papalium.

§. II. Siftunt vero mox sese hic *Menses Papales*, quiquid sint, patet ex *Concordatis Nationis Germania* Anno 1447. a FRIDERICO III. cum Pontifice NICOLAO V. initis, quæ exhibentur a Goldasto, antiquarum Tabularum & Constitutionum, nimis sæpe credulo quidem, (vt videtur Conringio) industrio tamen collectore *Tom. I. Constit. Imperial.* Scilicet sunt VI. menses per vices aut alternatim computati, *Ianuarus, Martius, Maius, Iulius, September & Nouember.* In hisce mensibus si decedat Canonici, vacantem locum, supplet vi concordatorum non Capitulum, sed Papa. Limnæus in *Comment. ad Capitul. Carol. V. mantiff. v. 295. Linck. Diff. ad Concord. Germ. Burgoldenf. ad Instr. Pac. P. 2. D. 9. y. 0.* Dicis: Quorsum hæc? Quid nobis aut nostro *emendato Calendario* commercii cum Papa, ille suas res, suos menses, sibi habeto. At suspende paulisper iudicium, si ingrata est tibi cantilena *L. inciuile est. 24. ff. de LL.* Horum enim mensium Papalium iura recte sibi vindicant in Capitulis suis

suis nostri Principes per tradita in §. 3. Cap. nostri I. quod figil-
 latim de Iure Sereniss. Electoris Brandenburgici in Præbendis
 suis competente, more suo, hoc est, solite tradit. Per-Illustr.
 Dn. de Rhetz. *Instit. Iur. Publ. Lib. 1 tit. 16. §. 8.* Exsurgit inde
 disceptatio, quid iuris sit, si Canonicus forte decederet futu-
 ro anno die XIX. Febr. computationis Calendarii veteris. Quæ-
 stionis sane tunc esset, an Capitulum, an vero Princeps, habeat ius
 vacantem Canoniatum supplendi? Pro Capitulo militare posset,
 quod per concordata integer Februarius ei sit assignatus, tem-
 pus computari propterea a momento in momentum, adeo ut
 moriens Canonicus nocte præcedente I. Martium, ante ho-
 ram duodecimam non possit dici mense Papali mortuus esse.
 vid. Dn. Sam. Stryck. laudata *Diss. de Iure Papali Principum Evan-
 gel. Cap. IV. §. 2.* Inde Capitulo Ius quæsitum esse per integrum
 mensem. Hoc vero per mutationem Calendarii auferri ei non
 posse aut deberi. Esse reuera diem Februarii, licet Martii no-
 men induerit &c. E contrario pro Principe allegari posset,
 (1) simpliciter inspiciendum esse vltimum articulum mortis,
 hunc vero iuxta emendatum Calendarium incidere in *Mensem
 Martium*, illum vero esse Papalem & sic ad Principem spectare ius
 prouidendi vacanti Canoniatui. Ideo (2) introductos fuis-
 se distinctos menses, ut circa electionem inter Capitulum &
 Papam nullæ lites in posterum superessent, his pactis standum
 esse: In Anno *Bis-sextili* Februarium (3) vno die auctiorem esse,
 hoc augmentum hætenus cessasse, nullo contradicente, in Ca-
 pituli commodum, inde æquitatem postulare, ut decremen-
 tum mensis ei etiam noceat, cum & naturaliter iustum sit, e-
 ius debere esse incommodum, qui gauisus est commodo. Præ-
 terea tempus hoc legale non esse computandum ad instar
 puncti Mathematici. Sic enim quilibet mensis deberet con-
 tinere 30. dies & horas 10. cum dimidia. Scaccia *de Iudic. lib.
 2. c. 3. n. 302.* Alios Doctores statuere, menses computandos ef-
 se prout currunt, v. c. a quinta die Iulii ad quintam Augusti
 Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 24. n. 15.* Menoch. *de A. Ind. Qu. lib. 2.
 cas. 50. n. 21.* Cum igitur adeo varietur in diebus mensium,
 sub-

subsistendum in illis diebus nunc Februario assignatis, & sic pro Principe pronunciandum esse &c.

De iuris Patronatus
prescriptionis 4. mensium.

§. III. Venio ad *Ius Patronatus Ecclesiasticum*. Hoc vero potissimum consistere in presentatione Ministri Ecclesie, quo ab Episcopo vel Consistorio instituitur, ad functionem Ecclesiasticam rite obeundam, patet ex Finckelth. *de Iur. Patron. c. 2. n. 1.* Lambertin. *de Iur. Patron. P. 3. L. 2. qu. 2. art. 2.* Concesserunt autem hoc ius Laicis Episcopi eo lubentius, quo avidius sperabant, allectos fore hoc honore opulentiores alios similibus beneficiis Ecclesias sibi obstringendi. Finckelth. *loc. cit.* Plerumque enim Ius quæsitum est Patronis propter fundationem aut dotationem Ecclesie, *vid. Novellas LVII. 2. LXXII. 2. CXXIII. 18.* Dispositum tamen est iure Canonico, quod iure presentandi possit excidere Patronus Laicus, si vacantem locum elapsis IV. mensibus, (aut VI. si clericus) non suppleat. *Cap. 22. 26. 27. X. de Iur. Patron. Ziegler. ad Lancell. Lib. 1. tit. 28. §. 3.* Esto vero nunc Casus: Decedit minister Ecclesie *Calendis Novembris* anni currentis. Hierophilus Patronus siue collator, intermittit ius presentandi vsque ad *Calendas Martii* futuri 1700. anni? Quæritur, *An Hierophilus iure presentandi pro hac vice exciderit, & sic ius instituendi devolutum sit ad Episcopum siue Episcopalia iura exercens Consistorium?* Quibus affirmatiua decisio placeret, possent urgere, secundum novum Calendarium IV. Mensium tempus elapsum esse, hoc adeo stricte computari, ut sufficiat etiam hoc factum esse per unum diem. Ricc. *in Prax. For. Eccles. P. 1. resol. 326. n. 4.* Currere quidem Mensium spacium non a die vacationis, sed notitiæ, Antonell. *de temp. legal. lib. 3. c. 15. n. 2.* Camill. Borell. *Decis. tom. 1. tit. 32. n. 69.* sed ab hoc die, effluxis IV. mensibus, fatale esse. Vicissim qui in negantium castra sese conferunt, possunt adducere, tempus non esse plene præter lapsum, secundum vetus Calendarium restare aliquot dies in Februario, esse titulo oneroso ut plurimum quæsitum ius Patronatus, præscriptiones IV. mensium esse penales, hinc odiosas & stricte interpretandas &c.

§. IV. Se-

§. IV. Sequuntur *Beneficia ac Præbenda*, quæ conferri debent De Beneficiis
 intra VI. Menses. *Cap. nulla. 2. de Concess. præbend.* Hi 6. men- intra 6. men-
 ses, licet a die scientiæ siue notitiæ vacationis computentur, ses confere-
Cap. Licet. de supplend. negl. Prælat. Ex eo tamen tempore cur- dis.
 runt de momento in momentum, ita, vt si quis vacationem
 beneficii sciuerit die I. Martii, hora II. semestri huiusmodi fi-
 niatur die I. Septemb. hora II. completa iuxta *Gloss. in Cap. quam
 sit. vers. mensem. de Elect. in 6.* Garfias *de Benefic. P. 10. cap. 2.*
 Quare hisce VI. mensibus elapsis, collationem deuolui ad Pa-
 pam, ex *alleg. capit. patet.* Verum cum ad Principes Euange-
 licos omnia iura Papalia transferint, vt euidetur *Cap. 1. §. 3. disce-
 ptari potest, quid iuris sit, si Capitulum vel alius Prælatus be-
 neficium vacans factum, v. c. die I. Septembris huius anni, sup-
 plere negligat vsque ad 1. vel 2. diem Martii. Qv. An propterea
 Collator beneficii iure suo exciderit pro hac vice & potestas conferendi
 ad Principem deuoluta sit? Rationes in vtramque partem, facile
 ex adductis perspicui possunt.*

§. V. Hinc pedem promouemus ad *Contractum Emphyteuti-* De Emphy-
cum, qui licet ignotus fuerit moribus teutonicis priscis, pro- teusi Ecclesi-
 bante hoc doctæ Dn. Schiltero *Exerc. ad ff. 16. th. 83.* tractu ta- ast. biennio
 men temporis vsus eiusdem adeo inualuit apud Ecclesias, vt præscribenda.
 inde Emphyteuticus contractus in ciuilem & Ecclesiasticum
 diuisus fuerit. *Frantz. de laudem. cap. 9. num. 37.* Consistit
 vero hic contractus, postquam a Zenone peculiaris forma ei
 assignata est in *L. 1. C. Locat. in translatione utilis domini rei
 immobilis sub lege meliorationis & annui Canonis soluendi.*
 Hic canon autem licet modicus esse soleat, hoc incommodi ta-
 men habet, vt si in Ecclesiastica Emphyteusi ultra biennium
 non sit solutus, Emphyteuta cadat suo iure. *Bachou. ad Trentl.
 Vol. 1. D. 29. th. 12. lit. B. Dn. Schilter. Exerc. XVI. th. 76. seqq.* Quid
 vero si casus contingeret, vt quis Ecclesiasticam Emphyteu-
 sin possidens, canonem soluere neglexisset a fine Februarii præ-
 cedentis anni vsque ad 1. Martii futuri 1701. anni. Quæri cer-
 te tunc potest, *an si Ecclesia voluntatem suam Emphyteuta super pri-
 uatione declarauit, hic emphyteusi priuandus sit? Quod omnino
 D asse-*

asserendum videtur, quia in legibus sub pœna priuationis biennii tempus definitum est, adeo vt ipso iure Emphyteuta cadat iure suo, licet nulla interpellatio interuenerit. *L. 2. C. b. t.* Iam vero hoc tempus iuxta emendatum Calendarium iam elapsum est; Ergo eadem valet iuris dispositio. E contrario pro Emphyteuta facit, quod integrum biennium sit ipsi concessum, hoc vero non possit vocari, vbi aliquot dies truncati sunt. Annum civilem 365. diebus constare *L. ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. L. anniculus 134. ff. de V. S. L. 4. §. 5. ff. de Stat. lib. & c.* Simile tempus Patronis præscriptum, si contradicere velint permutationibus vel resignationibus factis de Beneficiis patronatis absque consensu Patronorum. *Couarruu. Pract. Quest. cap. 36. n. 9. Antonell. de temp. Legal. lib. 3. c. 14. n. 4.* Hinc eadem quæstio occurrit decidenda.

De quadri-
ennio resti-
tutionis Ec-
clesiæ.

§. VI. Præterea latus sese aperit campus circa *beneficium restitutionis*, Ecclesiæ aliisque piis locis ad imitationem minorum, indultum. Ecclesia enim, si ob læsionem restitui velit, iuxta *L. 4. C. ex quib. caus. mai.* hoc intra quadriennium a tempore læsionis fieri debet. Esto vero casus: Ecclesia aliqua læsa est præcedenti anno 1696. vltimo Februarii, restitutionem vero petere vult 2. vel 3. Martii anni 1700. *queritur an audienda sit, quia tempus quadriennii iuxta emendatum Calendarium effluxit?* Verum cum hæc quæstio illustrari commodius possit ex infra dicendis de restitutione minorum; hinc illam eo vsque reseruamus, nos simul conferendo ad *Ius civile* quod lætiorem copiosioreque segetem harum controuersiarum nobis suppeditat. In hoc vero talis ratio procedendi ab vno ad aliud quæ methodus vocatur, nobis placebit, vt primum solliciti simus quid ratione iuris *Personarum*, tum *Rerum*, denique *Actionum* in controuersiam circa eiectionem XI. dierum maxime euenire possit. Ad postremum paucas quæstiones ex *Iure Feudali & Saxonico*, adiecturi.

An dies XI.
Impuberibus
in testamen-
to condendo
proficui sint.

§. VII. Inter personas vero iuridice consideratas primo loco occurrunt *impuberes*. Equidem horum gradus ætatis distinguuntur ex §. 9. & 10. *L. de Inutil. Stipul. in infantes, infantia proximis*

ximos & pubertati proximos. Ast quis definitus annorum numerus siue terminus his annis assignandus veniat, frustra ex Doctoribus immane quantum hic a sese inuicem dissidentibus quaesueris. Nam Tabor in *Racemat. ad Artic. 149. Constit. Crim.* quem sequuntur Clasen & Blumlacherus *ad eundem Art.* contendunt, pubertati proximos esse, qui non ultra semestre spacium ab anno XII. si feminae, & XIV. si masculi absunt. Ab his autem toto caelo aberrans Ioh. Franc. Fara Saxarenfis Sardinus IC. *Tract. de essentia infantis, infantia proximi & pubertati proximi Cap. XXVIII.* pubertati proximum vocat, qui annum Septimum excessit. E contrario Pyrrh. Corrad. *Prax. dispens. Apost. lib. 4. c. 3. n. 2.* Did. Couarruu. *Tom. 1. de Matrim. P. 2. c. 5. num. 7.* Menoch. *de Arbit. Iud. Q. lib. 2. cas. 57. n. 4.* nihil hic definiunt, ac malunt totam rem arbitrio boni viri siue iudicis committere. Bonum vero factum, quod hac quidem quaestione in praesenti non indigeamus, & quod legibus ciuilibus clare expressum fit, quodnam tempus ad impuberis testamentum validum requiratur. Scilicet post annum XIV. completum masculis impubes potest testamentum condere. *praem. I. quib. mod. tut. fin.* Tempus vero hoc naturaliter computatur hoc est, de momento in momentum. Magnif. Dn. Hoppius in *Comment. ad b. l.* Hinc sufficit compleisse annum 14. licet pubes non excefferit. Propone aliquem Calendis Ianuariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse quarto decimo anno, dico valere. Plus arbitror, etiam si pridie Calendarum fecerit, post sextam horam noctis, valere testamentum. Ita quidem Vlpianus accurate format casus circa hanc rem in *L. s. ff. qui testam. fac. poss.* Sequamur vero praerentem ICtum paululum mutatis tamen circumstantiis. Propone aliquem futuro anno Calendis Ianuariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse quarto decimo anno computationis Calendarii emendati. An dicendum valere, cum XI. dies adhuc restent? Ita videtur. Nam pro valore huius testamenti militat, quod determinatio certorum annorum, & horum iterum in certos definitosque dies, nil naturalis iuris habeat, sed meri iuris Ciuilis sit. Dn. Pufendorff. *de Iur. Nat. & Gent. Lib. IV. c. 12.*

§. 7. Cum igitur Principibus placuerit futurum annum 1700. diebus XI. truncandi, tacite inuere ipsos, quod pro pleno ac civili anno hunc habendum velint. Quilibet sane legislator, potest pro scopo suæ reipublicæ huic vel illi temporis spacio effectum assignare moralem. Præterea testamenti factio in iure Civili semper summe fauorabilis credita est, conf. Pufendorff. *Lib. IV. c. X. §. 5.* cum nihil tam naturale sit quam vt supremæ voluntatis liber sit stylus, & exitum habeat illud quod non redit, arbitrium *L. 1. C. de SS. Eccl.* Interim non desunt quæ his reponi possunt, esse quæstionis, an terminus citius testandi concedi possit a Principe, sed disceptari, an hoc actum sit per sublatum, decennium. Proximis ab intestato tali ratione ius erit, ipsis quæsitum ex spacio iusto temporis lege definiti. Quare trahendam esse hancce Principum voluntatem de XI. diebus ad anteriores leges & Principum placita, iuxta sapientissimum monitum Pauli in *L. 26. ff. de LL.* Anteriores vero leges velle, vt annus XIV. sit completus, completum vero dici non posse vbi XI. dies desunt.

De matre intra annum non petente Tutores pupillo.

§. VIII. Porro ratione tutelæ impuberum est considerandum, quod mater & alii succedentes ab intestato, teneantur, Pupillo sub pœna denegandæ successionis petere tutores. *L. 2. §. 43. ff. ad Scous. Tertull.* Quamuis vero *L. 2. §. 3. ff. qui pet. tut. velit,* vt confestim hoc fiat a matre; attamen ad *annale tempus* hoc est traductum per *alk. L. 43. & L. 19. C. de leg. Hered.* Disceptari inde posset, an Mater vel proximi agnati intra anni spatium computationis Calendarii emendati tutores petere negligentes iure successionis priuandi, an vero undecim dies iis adhuc reliqui sint. Posterius verisimiliter exinde affirmari posset; quia integer annus nondum elapsus; posse vero fieri tutoris petitionem vltimo die & momento anni. Communis enim DD. regula est: qui tenetur aliquid facere anno vel intra certum tempus, potest hoc agere in vltimo eius momento. *Ruin. cons. 221. Gabriel Concl. commun. lib. 6. de tutel. concl. 1. n. 35.* Vicissim cum in fauorem pupilli hæc emanauerit constitutio, & agnati pupillo de tutore non prospicientes

tes odiosi sint, concludi posset, illos iure suo, quod ex successione habent, priuandos esse hoc casu.

§. IX. Præter hæc circa *impuberum* iura consideranda venit *substitutio Pupillaris*, quando scilicet a Patre liberis impuberibus in potestate constitutis heres in illum casum, si liberi aut heredes non fuerint, aut si fuerint, durante pubertate decesserint substituitur. *l. l. de Pupil. Subst. Oldendorp. de Præscr. temp. p. 198.* Quia igitur substitutio illa ultra XIV. annum completum extendi hoc casu non potest, dubium inde oritur, quid iuris sit, si computatio annorum iuxta emendatum Calendarium instituat; Cum enim anno XI. dies subtracti, quaeri potest, *an illi in computatione annorum pupillarium, substituto vel heredi, an vero pupillo noceant?* Priori casu expiraret substitutio, si v. c. pupillus natus esset præsentis anni ultimo Ianuarii, & peruenisset ad annum 1713. Februarii primum diem. Posteriori ad terminum iam memoratum XI. dies adiungendi forent. Tali vero ratione semper calculus ac computus annorum civilis, vndecim dierum augmentum requireret utque ad dimidium fere futuri Seculi. Momenta interim pro vtraque opinione ex priori §. VIII. perspicui possunt.

An substitutio pupillaris expiret ultimo die an. 14 computationis Calend. emendati.

§. X. Relictis vero Impuberibus transimus ad *Minores eorumque restitutionem.* Tempus autem hic computari a momento in momentum, apud omnes in confesso est. vid. Hahnus *ad Wesenb. n. 3.* Frantz. *de minor. n. 4.* Hinc incipit Maiorennitas seu quadriennium a primo die anni XXVI. Quod si vero minor veniam ætatis impetrauit, tunc quadriennium iuxta *L. 5. C. de Minor.* currere incipit a die quo venia competentis iudici est intimata, Simon *diff. de Præscr. temp. tb. 97.* Sic tamen, ut si forte statutum, 18. ætatis anno veniam ætatis largiatur, tunc restitutio vsque ad finem anni 25. duret salua. Berlich. *decis. 6. B. Struv. Exerc. VIII. tb. 64.* Disceptari vero nunc potest, *An minor præterlapso quadriennio iuxta computationem Calendarii noui gaudeat adhuc restitutione in integrum ob XI. illos dies non computatos?* Quibus negatiua arrideret, vrgere possent in Iure civili non ita stricte considerari Minoris ætatem, cum ille

De quadriennio restitutionis minorum.

ille pro Maiore XXV. annis iam reputetur, si modo agat annum XXV. Expresse enim in *L. 8. ff. de Mun. & honor. constitutum*, esse, vt annus inchoatus habeatur pro pleno. *conf. l. 74. in f. ff. ad Sconf. Trebell.* Iuxta emendatum Calendarium quadriennium integrum esse præterlapsum, in conueniens vero imo molestum videri, semel rite computato tempore, sat largo annorum spatio, denuo illud velle, calculum subducendo, turbare decem dierum additione; Tam subtilem & auaram temporis in hoc casu computationem, tam contra iuris rationem esse videri, quam ipsa tota restitutio in integrum ex æquitate magis, quam stricti iuris ratione introducta sit. vid. Marquard. Freherus *orat. I. in 18. Natalem Friderici IV. Elect. Palatin.* Verum non desunt quæ occinere possunt affirmantes. Ingens deprehenditur fauor iuris erga minores. Inde vti orta dispositio *L. allegata 8. de laxiori temporis computatione*; quando de habilitate Minorum ad honores & officia publica quæritur; ita idem fauor iubet, vt in restitutione Minorum strictissime computetur. *L. 3. ff. de Minor.* Præcisa illa de momento in momentum computato est e re minoris ergo debet ei prodesse, cum in eius fauorem introducta sit. *conf. Cyprian. Regner. ab Obsterga in censur. Belgic. ad dict. L. 3. §. 3.* Nam quæ expressis legibus in fauorem cuiusdam introducta sunt, illa in odium detorquere sinistra metamorphosi, iura abhorrent. *L. quod fauore 6. C. de LL. c. 61. de R. I. in 6.* Præterea habet illa minorum restitutio in integrum naturalem æquitatem patronam. Wesenbec. *11. ad tit. f. de Minor. num. 2.* hinc & maxime sibi locum vindicat naturalis computatio de momento in momentum. Robert. *1. sent. Connan. 3. Comm. 12. n. 6.* Hahn. *ad Wesenb. b. t. n. 3.*

De quadriennio restituti-
onis Ecclesiarum & aliarum
Vniuersitatū.

§. XI. Ceterum idem beneficium restitutionis indultum est Ecclesiis & aliis piis locis. *t. t. X. de restit. in integ. Rebus publicis L. 3. C. de Iur. Reipubl.* & reliquis Vniuersitatibus. Berlich. *P. 2. dec. 2. 26.* Imo etiam maioribus ob prægnantes causas *t. t. ff. Ex quib. caus. maior.* Feminis etiam maiorenibus, si partim in causis iudicialiis enorme damnum pas-

se

ſæ v. c. præterlapſis fatalibus probationum, partim in non iudicialibus grauitè læſæ ſunt. vid. Iacobi diſſert. *de Reſtit. in Integ. mulier. cap. 2.* Dn. Schilter. *Exerc. XI. tb. 1.* Quare eadem quæſtio in computando hoc quadriennio poteſt occurrere, ratione horum XI. dierum. Interim obſeruandum, quod in genere quadriennium in maioribus computetur a die ceſſantis abſentiæ, aut alterius impedimenti. *L. f. C. de temp. in Integ. reſtit. item læſionis, vel contracti aut perfecti negotii, aut rei iudicatæ cuius reſciſſio petitur. d. L. & cap. 1. X. de reſtit. in integr.* Quod idem obtinet in reſtitutione mulierum, Ciuitatum, Eccleſiarum reliquarumque Vniuerſitatum, Carpz. *in proceſſ. tit. 19. art. 7. n. 12.* Richt. *p. 2. dec. 71. n. 13.*

§. XII. Occaſione horum iurium minoribus competentium, anſa nobis naſcitur exſpatiandi in Jus publicum. Inquiſitionis hic erit, an & circa *ætatem Principum*, Calendarium emendatum controuerſiam parere aptum ſit. Equidem quod attinet Filios Electorum, A. *Bulla artic. VII.* anno xviii. eorum legitimam ætatem definit. Male vero Knichen. *de Saxon. non pronoc. iur. cap. V. n. 42.* annum hoc caſu cœptum pro completo habet, quia refragantur clara verba Bullæ: *quam in Principe Electore decem & octo annos completos* (ſiue vt Verſio Germanica habet, *auff achtzehn ganzer Jahre*) *cenſeri volumus.* confer. Schutz. *Colleg. Iur. publ. Exercit. VII. tb. 16. lit. B.* Limnæus *obſ. 19. ad A. B. tit. VII.* Exemplum illuſtre huius rei fuit in Domino Palatina, cum FRIDERICO IV. Electori, *duo tantum menſes*, (vel *ſix ſemains* vt D. W. Auëtor *des Memoires de l' Elect. de l' Emper. pag. 51.* habet) ad decimi octauæ anni complementum reſtarent. Cum enim IOHANNES CASIMIRVS legalis tutor mortuus eſſet, RICHARDVS Comes Palatinus, contendebat tutelam ad ſe deuolutam eſſe, contra quem conſcriptis propterea orationibus elegantiffimis, obrinuiſſe Marquardum Freherum, magis tamen ex conuiuentia, quam legis diſpoſitione, iudicat Limnæus *ad A. B. obſerv. 31.* Verum quid hodie dicendum. *Annon Electorum filii citius ſunt Maiorennes*

An Electorū filii nunc citius ſiant maiorennes.

Et annon ad complementum octodecim annorum dies XI. Veteris Calendarii necessarii erunt? Ita videtur. Nam modo euicimus ex mente legislatoris Caroli IV. tempus octodecim annorum computandum esse de momento in momentum. Ætas hæc Electorum adeo sancte obseruanda est, vt ne Imperatori quidem dispensandi & veniam ætatis dandi potestatem concedant. Dn. Thulemar. *de octovir. cap. fin. §. 9.* Abunde hoc testatur dispensatio Ioachimo I. Marchioni Brandenburgico & sedecim annorum Principi, clb cccc xcix. data. Ibi enim expresse cautum est, ne hoc quod iam in domo Marchica exigente publica Imperii salute factum, in exemplum postea traheretur. vid. Cernitius in *Descript. X. Elector. Brandenb. in vita Ioach. pag. 48.* E contrario vrgeri potest, menti A. Bullæ plene satisfieri, si anni iuxta computationem noui Calendarii completi sint. Ex obseruantia Imperii modicum quod restat tempus, non requirere nouum tutorem. Dn. Thulemar. *l. c. §. 10.* ne forte ob paucorum Mensium defectum nunc nouo Tutori aut Administratori & mox ipsi successori legitimo, homagium præstare subditi, necesse habeant *conf. Fridenr. synopsis. de Tutel. Palat. p. 179.*

An Principes
citius fiant
maiores.

§. XI. Eadem lis de ætate reliquorum Principum Imperii nasci potest. Licet enim in nonnullis Domibus, vti *Anhaltina Brunsvicensi* & aliis, vid. Spreng. *J. P. pag 427.* legitima ætas anno 18. vel 21. definita sit; illa tamen de momento in momentum computanda est. Schutz. *Colleg. Jur. Publ. Exerc. VII. 18. vel 21. th. 16. 6.* Myler ab Ehrenbach. *de Trat. Imp. P. 1. c. 29. §. 6.* Limnæus *de J. P. L. 3. c. 7. num. 41.* Reliqui vero Principes intelliguntur demum maiores fieri iure communi, hoc est, completo XXV. ætatis anno, *conf. Dn. Alexandri Dissert. de Tutela matern. Princ. Imper. Cap. V. §. 2.* Cuius rei illustre exemplum occurrit in HEDWIGE SOPHIA, GEORGH WILHELMI Electoris Brandenburgici gloriosiss. memoriæ filia, WILHELMI VI. Landgrauii vidua, quæ regimen tutelamque omnium prouinciarum, vsque ad annum XXV. ætatis CAROLI hodierni Landgrauii, continuauit. vid. Autor (creditur Dn. Bernhaldi Zech Consil. Sax.) *des Euro*

pai

pätschen Herolds p. 242. De Saxonis vero Principibus disceptationis est, an 25. vel 21. anno completo maiorenes fiant, quod posterius omnino asserendum esse persuasi sumus, freti exemplis tum & rationibus. vid. Limm. de Iur. Pub. L. 3. c. 7. num. 65. Dn. Alexandr. laud. diff. loc. alleg. Interim manet generalis dispositio, quod siue per A. Bullam 18. siue per Ius Saxonicum 21. siue communi iure 25. anno maiorenes fiant Principes, tamen tempus illud de momento in momentum computetur, & sic eadem cum priori quaestio occurrat, *an iuxta Calendarium emendatum citius maiorenes fiant Principes nostri?*

§. XV. Equidem possunt plura ratione personarum in medium proferri. Sic cum in criminibus, ante XIV. ætatis annum, pœnam ordinariam dictare non audeat communis Schola Dd. vid. Vincent. Carocc. de Impub. & minori in delict. excusando; inde non incommode queri posset, *an eiusmodi impuberi pœna ordinaria ob delictum forte ultimo die pubertatis iuxta calculum Calendarii emendati adepte commissum, dictanda?* Verum quoniam non exacte hic anni considerantur, sed dolus & calliditas, vid. Ziegler. Diff. de pœn. Impuber. cap. 2. hinc properamus ad Iura rerum. Admittuntur vero tam iura in re, quam ad rem, *vsucapione vel prescriptione.* Quamvis vero in *vsucapionibus* computetur tempus ciuilitè, adeo vt sufficiat postremi anni diem cœptum esse, l. 6. & 7. ff. de *vsucap.* vel vt Venuleius ait in l. 15. ff. de diuers. temp. *prescr.* si minimo momento nouissimi diei res sit possessa; Vereor tamen, vt eo ipso lis de XI. diebus sit sublata. Cum enim notissimi iuris sit, quod in immobilibus *decennium* inter præsentes, *vicennium* inter absentes, ad *vsucapionem* requiratur; in posterum quaestio erit; *An mobilem rem possidens per triennium iusto titulo, bona fide & reliquis requisitis, vsucapione tutus sit, si diebus decem post illud triennium desuper vsucapienti lis moueatur?* *Usucapionem* hoc casu nondum dicendam esse completam ac perfectam, variæ rationes iubent. *Usucapio* est enim a legislatore introducta, vt respectu veri priorisque domini, negligentia

An XI. dies
altarent com-
putationem
temporis vsu-
capionis.

E

eius

eius puniatur. Hinc Hugo de Roy *de eo quod iustum est. lib. 3. c. 3. §. 4.* circa explicandam legum Ciuiliū æquitatem in constituendo vsucapionum iure, confugit ad potestatem puniendi fontes & negligentes, quæ imperantibus in Ciuitate conuenit. Pœnalia vero strictissime esse interpretanda, prudentes rerum Ciuiliū semper suaserunt. Odiosissimum præterea esse Vsucapionis ius, satis adstruit peritissimus interpretum Cuiacius *ad l. 1. ff. de Vsucap.* ubi dicit, pugnare vsucapionem cum iure gentium, quod ea dominium inuito auferat, pugnare quoque cum æquitate naturali, etsi hoc fiat bono publico. Vnde dicendum videtur, quod nec nostro casu vsucapio perfecta sit, nisi vndecim dies veteris Calendarii adiiciantur. E contrario negari non potest, Vsucapionem ob salutem publicam esse inventam. Expedit enim reipublicæ, vt lites amputentur & dominia inter ciues sint certa. Ob tantum fauorem, vtilitate publica satis rependitur damnum quod forte emergit. Primarius scopus legis de vsucapionibus haud quicquam est fontes punire, sed ne propter incerta & insuspensio manentia dominia ciuitas perturbetur. vid. Dn. Pufend. *de Iur. Nat. Lib. IV. c. XII. §. 6.* Grot. *de Iur. B. & P. L. 2. c. 4. §. 9.* Hinc cadere videntur quæ de vsucapionis odio supra allata, nec aliquid videtur ob stare, quo minus vsucapio annorum calendarii emendati calculo computatorum, pro plena sit habenda.

de stipulati-
one pœnz
intra annum
non soluen-
tis.

§. XV. Progredimur ad *Contractus*. Solenne hic est, ad difficiles ejus quod interest probationes declinandas, certam summam pœnz loco stipulari vid. Dn. Stryk. *de Cautel. Contr. Sect. II. cap. 10. §. 9. & Sect. III. c. 7. §. 24.* Finge, Mercurinum Mercatorem Hamburgensem, Lipsiensi certam summam Bero- lini soluendam promississe in contractu inito Calendis Ianuarii anni instantis 1700. Contractui adiecta est pœna 200. Imperialium, si Mercurinus fidem eo anno non liberet. Præter- lapso sine solutione anno quæstionis, Lipsiensis Mercator 2. vel 3. die Ianuarii 1701. petit pœnam. Quæritur *an illam soluere obstrictus sit Mercurinus?* Videtur quod sic. Tempus in stipu- lationem deductum effluxit iuxta emendatum Calendarium.

Mer-

Mercurinus non agnouit bonam fidem. Subtilitates iuris non attendi inter mercatores. Iudicari ibi secundum bonum & æquum. Lauterb. *Diss. de iure in Curia Mercat. usitat.* Interesse commerciorum, vt contractibus hisce constet suus vigor, sua certitudo. Verum contrarium suadent in hoc puncto contractuentium mens, quæ semper attendi debet. Conueniunt vero Dd. in eo, quod si quis promiserit dare hoc anno, non intelligatur de anno currenti a Natiuitate Christi, sed de anno emergenti a die contractæ stipulationis, & sic decurrente per integros duodecim menses. Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. lib. 14. tit. 40. num. 20.* Accedit, quod hic versemur in casu pœnali, contra quem in dubio sententiam ferendam esse, genius legislatoris prudentiæ iubet. Ergo dici posset, sufficere Mercurinum soluere pecuniam ante lapsum XI. dierum post Kalendas 1701. Nam illæ ad annum solarem ciuilem citra dubium intentum, sufficiunt.

§. XVI. Inter contractus celebriorem locum sibi vendicat mutuuum, vtpote quod ob indigentiam humanam vsu præcipue frequentatur. Raro vero celebrari solet absque stipulatione certarum vsurarum. vid. Dn. Stryk. *de Caut. Contract. Sect. II. c. 1. §. 14.* Quærere vero nunc lubet, quando soluenda sint usurae qua v. c. futuro anno 1700. die 19. 20. 21. & vsque ad finem Februarii, præstandæ sunt? De hac quæstione Ratisbonnæ iam deliberationem incidisse, fide Hamburgensium Nouellarum retulimus in §. 1. huius cap. Vbi simul mentio fit, nonnullos iudicasse, quod illæ vsuræ, quarum terminus Dies 19. Februarii, nunc I. Martii, & sic cursu retrogrado in sequentibus, soluendæ essent. Adiciuntamen Relator: de hac re vltiorem disquisitionem certioremq; sententiam expectari. Equidem de illo casu, pro vt ibi formatus est, puto satis bene iudicatum fuisse, cum nec creditor nec debitor sese inde prægrauatum esse, iuste conqueri possit. Sed quid si usura non præcise in 22. aut 23. Februarii, sed tantum in vltimum Februarii diem stipulata sint? Hoc casu 18. diem vltimum Februarii in futuro anno, vsurasque ibi soluendas esse, probabile videtur. Cum enim Anno Bis-sex-

de Usuris 19.
Febr. solutio
dis.

tili Februarius mensis vno die auctior fiat, & sic dubium fit an. 28. vel. 29. die vsuræ solvendæ, huic dubio occurrere voluisse videntur contrahentes, dum simpliciter vltimum diem elegerunt, qui præcise propterea considerandus est, quia in dubiis contractibus potissimum mens contrahentium respicienda, quod Mantica Cardin. *integro Tr. de tacit. & ambig. Conuent.* docet. E contrario regeritur: versari nos in quæstione de vsuris, materia omnibus iuribus odiosissima, quam propterea conueniat circumscribere. Durum esse, præcipitato tempore adstringere debitorem ad soluendas vsuras, cum spatium XI. dierum ipsi superfit. &c.

De Præscri-
ptione actio-
num præto-
rariæ annali.

§. XVII. Properamus ad *Præscriptiones actionum*. Diuisæ autem fuerunt hæ Actiones in *Ciuiles & Prætorias*. Hæ iuri Prætorio originem suam debent. §. 3. *Inst. de perpet. & temp. action.* Quare vero introductæ fuerint hæ prætoriaræ actiones in Remp. Romanam, fusius persequi non patitur instituti ratio, videatur Excell. Dn. Thomasi *Lib. de Nev. Iurispr. cap. VII. nev. 12. & 13.* vbi iudiciosissime annotata sunt quæ huc pertinent. Ciuiles actiones autem ex iure Ciuili in specie sic dicto originem trahunt. *alleg. §. 3. l. & ib. Frantzk. in Comm.* Harum actionum vti diuersa origo, ita etiam diuersa indoles. Ciuiles ex natura sua quasi perpetuæ hoc est, XX. annos & vltra durant, Prætoriaræ vero temporales sunt. Exemplo nobis sit Actio iniuriarum æstimatoria. Hæc per *L. 5. C. de iniur. anno* expirat, *Gail. lib. 2. obs. 105.* Quæritur vero, an Pomponius iniuriam passus v. c. XXII. Februarii hoc anno, possit instituire hanc æstimatoriam iniuriarum actionem I. Martii 1700. Negatiua exinde colligi posse videtur, quia huic actioni annus est definitus. Annus vero præterit iuxta emendatum Calendarium. Esse cum hoc tempore ita comparatum, vt si spatium illud agendi legibus definitum semel elapsum sit, nullum auxilium superfit, quia negotiis ciuilibus hæc tempora quasi viuendi & moriendi momentum constituunt, vti colligere est ex *L. 3. C. de temp. Appell. l. 1. §. 1. C. de annal. præscript. l. 3. §. 1. ff. quæ in fraud. Credit.* Præterea actiones iniuriarum instituire, esse rem viro honesto imo Christiano indignissimam, & sic nul-

nullo favore dignam, hinc interesse publice vt quam arctissimo spatio ea actio includatur. conf. H. Grot. *de I. B. & P. L. 2. c. 20. n. 10.* Vicissim audiendum esse instituentem actionem iniuriarum persuadent, quod integer annus sit præscriptus: Anno futuro vero ad eius dierum completum numerum XI. dies deesse. Quamdiu igitur illi non sunt præterlapfi, non videtur annus a Prætoze assignatus præteriisse: negandum esse, quod actiones iniuriarum sint turpes aut viro honesto indignæ, cum ratione circumstantiarum pro damno resarciendo possint institui, vid. Magnif. Dn. Pro-Rect. Bodini *Dissert. elegantiss. de abusu estimat. & moderat. iniuriar. §. 9. & 10.*

§. XVIII. Eadem quæstiones occurrere in posterum possunt circa reliquas *Actiones Prætorias* earumque præscriptionem. Imo nec de actionibus *Ciilibus* aliter iudicandum erit. Ex innumeris exemplis per omnia temporum spatia deductis a Dn. Strykio *in calce Tract. de Action. Oldendorp. tr. de Præscript. D. Simone Dissert. de Præscript. temp.* placet pauca eligere, initium faciendum a tempore *anni*. Cum Romanorum seruis comparari in nonnullis homines proprios nonnullorum locorum, in aprico est. vid. Mev. *in tr. von Zustand und Abforderung der Bauersleute. & in Comm. ad Ius Lubec. L. 1. sect. 3. art. 3.* Eadem autem conditione in Palatinatu censentur *Wildfangii*, hoc est, domino & certa societate civili carentes, hincque instar ferarum capti. conf. Illustr. Dn. de Rhetz *in Medit. ad Inst. dissert. 4. §. 14.* Fiunt vero *Wildfangii*, si eo loco, vbi Elector Palatinus ius homines proprios faciendi habet, fixam fortunarum sedem figant, nec *anni spatio* a quopiam Domino vindicentur. Burgoldenf. (Oldenburgerus alias) *in notit. rer. Germ. Imp. P. 1. disc. 28. p. 464.* Quæritur nunc, quid iuris sit, si Dominus vindicet hominem suum proprium in Palatinatu commorantem a die 1. Februarii anni 1700. vsque ad diem 2. vel 3. Martii anni 1701. Huic Domino adhuc ius esse vindicandi saluum exinde colligitur, quod Priuilegium Palatini mentionem faciat, integri anni, iam vero illum non esse præterlapsum, quia XI. dies restant. Priuilegium ratione tertii esse stricte intelli-

De Wildfangiiis in Palatinatu intra annum non vindicatis a domino.

gendum. Carpz. P. 2. D. 113. n. 13. maxime si in præiudicium vicinorum vergat. Fuisse vero vicinis hoc priuilegium Wildfangiatus admodum graue, facile diiudicare licet ex Bello, quod 1666. propterea Moguntinus & reliqui vicini intulerunt Palatino, quodque vix Regum Gallix & Suecix interuentu Heilbrunnæ solenni laudo, opera *Honorati Courtini & Davidis Meuii* confecto, sopiri potuit. vid. Burgold. *loc. cit.* Ast pro Palatino vindicationi sui Wildfangii intercedenti militat, quod annus sit elapsus iuxta emendatum Calendarium. Tenorem Priuilegii requirere tantum, vt Wildfangius intra annum non habeat Dominum persequentem. Quia igitur hoc tempus completum, Dominum suæ negligentix adscribere debere, quod non prius vindicauerit.

An vndecim dies computandi sint in reliquarum Actionum præscriptione?

§. XIX. Ne prolixi nimis simus, vela contrahenda sunt. Quare breuiter dicimus, per totam præscriptionum materiam, tempus completum, v. Balb. *de Præscript. P. 3. qu. 6. n. 6. per L. in omnibus. ff. de A. & O.* desiderantem, quæstionem sese diffundere, *An secundum Calendarium vetus an vero iuxta Calendarium emendatum anni numerandi sint.* Priori casu vsque ad dimidium fere seculi futuri semper in computatione adiiciendi forent XI. dies, nec posset dici huic iuri antea plene præscriptum esse. Etenim notum est, quod actiones Ecclesiis, Monasteriis, Orphanotrophiis, Hospitalibus, Academiis, Scholis aliisque piis locis de prædiis & seruitutibus competentes, XI. annorum spatium demum præscribantur. *Auth. Quas Actiones. C. de SS. Eccl. c. 6. Nov. 131.* Ergo non deerunt forte, qui existimabunt, ad præscindendas lites ex hac re orituras, conducere Constitutionem Principum definientem, an dies XI. hi computanda sint, nec ne. Optandum hoc eo vehementius, quo magis laborat, imo pene suffocata est alias multitudine controuersiarum Iurisprudentia Germanica, vid. Dn. Strykii *elegantissimam Præfationem ad B. Brunnemanni Repit. Paratit. Wesenb. Edit. nouiss.* Hinc non potest non desiderari, vt omnes illæ controuersix in quibus enodandis Dd. anxie sese sæpius torquent, ad exemplum Iustinia-

stiniani *antiqui iuris altercationes sapientis*, §. 3. *Inst. de Libertin.* principali authenticaque autoritate aliquando decidantur.

§. XX. Restant adhuc præscriptiones *actionum Criminalium*, De hæscript. Criminum. quo pensitemus, an in huius temporis spatio lege præfinito ad excludendam pœnam, secundum vetus, an emendatum. Calendarium computus instituentus sit? Exemplo sint delicta carnis vt stuprum, adulterium. Hæc quinquennio præscribuntur, ita vt omnis cesset accusatio ac pœna *L. 29. §. 6. ad L. Jul. de Adult.* Prosp. Farinac. *in Prax. Crimin. tom. 1. qv. 10. num. 11.* Tabor. *Racemat. Crimin. 1. n. 73.* Carpz. *Prax. Crim. p. 2. qu. 59. num. 20. & qu. 62. num. 68.* Dn. Stryk. *Diss. de Præscript. Crimin.* Esto vero nunc casus: Messalina adulterium commisit 1. Febr. anni 1699. Anno 1704. 2. vel 3. Februarii denunciatur iudici adulterium, quæritur an sit præscriptum? Videtur quod non. Annum vltimum quidem inceptum esse, sed non completum, cum vndecim dies desint. A Lege vero annos completos requiri, hoc est vt tempus non ciuilitè sed naturaliter computetur, probat Lauterbach. *Diss. de Præscript. Crim. th. 19.* Hinc in termino plurium annorum, vltimum annum inceptum non haberi pro completo, fusius asserit Flamin. *Parif. de Resign. benefic. L. 12. qv. 8. n. 27.* Esse præscriptionem criminum præterea odiosam, cum vix a violatione præcepti iuris naturalis, facinorosos esse puniendos, absolui possit. Interesse Reipubl. ne delicta maneant impunita. *L. 13. pr. de Offic. Præs.* Quare strictissime terminum quinquennii sat breuem alias sumendum, ita vt si vnicus dies absit, adulterium non possit dici præscriptum. E contrario Messalinam in nostro casu præscriptione tutam esse, non leuiore super sunt rationes: Doctores legibus nixos vno ore affirmare, elapso tempore vincenni vel quinquennii, delinquentes omnino absolvendos esse ab omni inquisitione & pœna delicti. *Thesaur. Decis. 208. in f. Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. tit. 8. n. 47.* Quod in tantum valet, vt Iudex post hoc tempus delinquentem præscriptionem probantem nihilominus puniens, eodem pœnæ genere afficiendus sit. *Iordan. Elucubr. diuers. lib. 14. tit. 24. n. 358. ap. Antonell. de Leg. temp. L. 2. c. 82. n. 1. 2.* Cessare præ-

præterea illa, quæ de odio præscriptionum antea allata. Præscriptionem enim non in eum finem inuentam esse, vt delicta maneat impunita, sed potius, ne propter summam factorum incertitudinem, ex temporis diuturnitate prouenientem, innocentes, in quos suspicio criminis alicuius cadit, indebita afficiantur pœna, aut beneficio defensionis priuentur, quod & ipsum post longum temporis lapsum, propter interitum probationum, admodum difficile redditur. conf. Dn. Thomas *Diss. de præscript. Bigamie* §. 4. Ergo summo fauore etiam nostro casu esse dignam præscriptionem quinquennii, cui pauci dies veteris Calendarii non præiudicare debeant. Equidem lapsum temporis esse affectionem entis phyci, sed ex voluntate legislatoris producere effectum moralem. Grotius *de J. B. & P. L. 2.* 4. §. 6. Cum igitur Principes anno 1700. xi. dies abesse iusserint, eo ipso tacite colligi, quod tamen pro completo anno Ciuili habere velint.

De nundinis
incidentibus
in hos XI.
dies eiectos.

§. XXI. Vltimo loco solliciti erimus de *Nundinis*, methodum Tribonianam secuti *in ff. cum & ibi vltimo loco tractentur.* Quærimus nunc, *quid iuris in Nundinis Mense Februario a die xviii. vsque xxviii. hætenus celebrari in Imperio solitis?* Ne vero nos frustra sollicitos esse circa hoc negotium quis putet, per saturam quasi notabimus locos. Die xix. Februarii Calendarii hætenus recepti nundinæ zu Dresden/Eilenburg/Borna/Schkolen/Osterfeld/Bayreuth/Tenstädt/Leutmeritz/Wilffen/Magdeburg/Stolpen/Bischoffswerda. Die xx. Weissenfels/Mergenthal/Bistritz/Die xx. Hilpershausen/Weiversheim/Cassel/Breitenbrunn/Viehmarckt zu Bremen/Die xxii. Paderborn/Hörter/Franckenberg/Gark/Greifenberg/Greifenhagen/Lauen/Paswalck/D. xxiii. Vieh- und Rossmarckt zu Stargard/D. xxiv. zu Chrudim. D. xxv. zu Spenburg/Klein-Amberg/Neu-Brandenburg/Callis/Franckfurt an der Oder/Warburg/Dessau. D. xxvi. Zwickau/Torgau/Graudenz/Ursel/Solk/D. xxvii. Eisenach/Bardewick/D. xxii.

D. xxix. zu Frillendorff und Melsungen. 2c. Quibus igitur diebus hæ nundinæ in Ciuitatibus celebrandæ sint, dubium est si enim prorogandas dixeris Nundinas, concurrent cum aliis, quæ de damno inde oriundo conquerentur.

§. XXII. Promissi nostri memores volumus nunc quædam *de* *Controuersis Feudalibus* huc quadrantibus delibare; breuiter *ta-* *De Vasallo*
men pro institui ratione. Illud igitur quod in præsentis nos *de-* *decedente*
tinebit, sunt *fructus ultimi Anni.* Si enim vasallus decessit sine *ante Martiū.*
herede masculo, & sic contingat feudum ad dominum reuer-
ti; quæritur, *annon filie fructus ultimi anni lucrentur?* In iure bene-
ficios nexus complectente fat claris verbis illa quæstio deci-
fa. Scilicet in §. *His consequenter. 2. F. 28.* distinguitur, an vasallus
decesserit ante Martium, an vero post Kalendas Martii vsque
ad Augustum. *Priori casu,* omnes fructus illius anni ex feu-
do prouenientes ad dominum; posteriori ad heredes Vasalli
pertinere, sancitur. Enim vero quo minus hæc decisio citra
controuersiam ad Vasallum forte decedentem 1700. anno ap-
plicari posset, XI. dies subtracti in causa sunt. Quid enim si
futuro anno vasallus moriatur 19. aut 20. Februarii Cal. vet. *an*
tali casu heredes vel dominus fructus lucretur, ambiguae disquisitio-
nis est. Pro heredibus militat computatio vetus, pro domino
emendatus calculus. Scilicet diuiditur annus totus in duas
partes æquales, cuius vna medietas quæ VI. Menses, a Mense
Septembri vsque ad Martium exclusiue, Domino vel Agna-
tis; Altera quæ etiam sex Menses a Mense Martio vsque ad Au-
gustum inclusiue complectitur, filiabus vasalli tribuitur. B. Dn.
Carpzov. *Iurispr. For. P. 3. C. 32. def. 1. n. 5.* conf. Richr. *Decis. 60.*
n. 7. Hartm. Pistor. *P. 1. Q. 24.* Quare in illis locis vbi non ali-
ter dispositum, vti in Marchia, Saxonia. vid. Dn. Stryk. *in Exam.*
Iur. Feud. Cap. XV. qu. 14. dici posset, quod omnino nouus com-
putus non debeat præiudicare filiabus defuncti Vasalli, quia il-
la diuisio anni feudalis absurda non est, vti putant Cuiacius &
Wesenbecius ap. Carpzouium *loc. alleg.* conf. B. Struuius *Syntag.*
Iur. Feud. Cap. XV. th. 16.

F

§. XXIII.

De feudo in-
tra annum
reuocando.

§. XXIII. Feudum alienatum in agnatos remotiores, posse reuocari per proximiorum agnatum *intra annum*, clari iuris est in §. *Titius filios* §. 2. F. 26. Balb. de *Præscript. P. 4. qu. 12. n. 19.* Antonell. de *Legal temp. Lib. 2. C. 26. num. 2.* Gabriel. *comm. concl. lib. 3. tit. de Iur. Emphyt. concl. 1. n. 16.* Quid vero si Agnatus 1. Februario A. 1700. usque 1. Feb. 1701. taceret, an adhuc reuocanti XI. dies superessent? Affirmatiua probatur, quod integer annus sit indultus. In omni vero dispositione statuti, si mentio fiat anni, integer & completus intelligitur. Stephan. Gratian. *discept. for. c. 946. n. 31.* quia annus non est in rerum natura, si non est perfectus. Surd. *decis. 178. n. 12.* Vrsell. *concl. 116. n. 9.* Futurus vero annus non potest dici integer, quia XI. dies subtracti. Negatiuam suadent contra, quod annus futurus Principum autoritate aliquot dierum deminutionem passus sit, igitur ipsorum voluntate pro pleno anno habendum esse, & sic gaudere debere omnibus effectibus, qui alias legali anno tribuuntur. Esse illum iam præterlapsum, hinc possessoribus ius semel quaesitum esse, hoc sine iniuria ob paucos dies veteri computatione reliquos non posse excidere.

De computo
anni Saxon.

§. XXIV. Deuoluimur tandem ad *Annum Saxonicum*. Notum vero est, quod ille annus eatenus ab anno ciuili discrepet, quatenus VI. septimanis & tribus diebus eundem superat *Gloss. Weichbild. artic. 4. verbo Jahr und Tag/ Rauchar. P. 2. qu. 24. n. 34.* Carpz. *P. 2. C. 3. d. 5.* Quæstio inde nascitur, An in futuro anno spatium hoc Saxonicum (vulgo *Sächsische Frist*) alicui præscriptum, debeat computari cum aut absque XI. diebus Calendario subtractis? Posterius persuadent rationes sequentes: Præter ius commune Jure Saxonico sat laxamenti indultum esse, superadditis 6. septimanis & 3. diebus, ut adeo pro iusto ac competenti interuallo temporis haberi debeat. Hinc nil sufficere quod hac vice XI. dies non computentur. Nam potissimum hoc spatium concessum esse, ne propter varias annorum computationes in iure communi vsitatas, error oriatur. Petr. Heigius *Qu. Illustr. P. 1. qu. 16. n. 30.* Hanc igitur seriem non debere turbare veteris Calendarii XI. dies. Ast XI. dies supra terminum Saxonicum, futuro tempore indulgendos esse, alii forte evincent

cent, propterea, quod Leges Saxonicae plenissimo tempore voluerint consulere hoc spatio. Non posse vero plenum tempus vocari, cui deficiunt aliquot dies. Annum proprie ac striete loquendo non esse, qui suis certis ac definitis diebus non constet *L. 42. de V. O.* Principis voluntatem pro ratione quidem esse in tempore legis definiendo, *Zaf. in L. 20. ff. de LL.* Postquam vero expressis legibus terminus ille integer est sancitus, non potest nisi expressis legibus iterum abrogari aut decurtari.

CAPVT III

Æquilibrium harum controuersiarum sistens.

§. I.

HÆ sunt potiores Controuersia, quas in priori Capite in utramque partem ventilare nobis placuit. Equidem potuissemus nullo negotio amplio-rem catalogum ex omnium iurium classibus pertexere; sed putauimus sufficere illas pro instituti ratione. Fatemur casus esse fictos, tamen qui occurrere in posterum poterunt, si non vbique, tamen alicubi. Nec veremur obiectionem ex *L. 3. 4. 5. & 6. ff. de LL.* quasi iura tantum constitui oporteat in his quæ *ut plurimum* accidunt, non quæ *ex opinato*. Nam leges illæ hoc tantum volunt, rationem constituendi iuris, non desumendam esse ex iis quæ raro, sed quæ regulariter fiunt. *conf. l. 10. ff. de LL. & Dn. Stryk. ad Inst. de Rer. Div. §. 22. p. 135.* Alias videmus sæpius iura constituere de iis quæ rarissime fiunt, veluti de Insula in mari nata *§. 22. Inst. de R. D. de partu quinquagenariæ. L. 12. C. de legit. hered. de superfætatione. l. 3. ff. de pars. hered. pet. vid. Excell. Dn. Wilduogelii Dissert. de his quæ raro fiunt. Io. a Sande ad L. 64. ff. de R. I.* Hinc multa relicta sunt Prudentum interpretationi. Neque enim leges ita scribi posse, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, vere iudicat Iulianus *in L. 10. ff. de LL.* Quia igitur non omnes articuli sigillatim possunt comprehendi sub lege vnum vel alterum introducente, bona occasio est, ad si-

Quatenus in iure circa rariores casus disponatur.

milia procedendi, ac cetera quæ tendunt ad eandem vtilitatem vel interpretatione, vel certe iurisdictione supplendi; vti ex prudentiæ legislatoriæ penetralibus in *L. 10. 11. 12. ff. de LL.* ratiocinantur *Iulianus & Ulpianus*. Quare bonam illam occasionem etiam nunc arripiemus, præsentis casus interpretatione pro facultate suppleturi. Quodsi vero rem acu non tetigerimus, speramus, Lectorem veniam daturum hominibus, in difficili legum studio communi humanitatis legi, hoc est, procliuatati ad errores, æque cum ipso obnoxiiis.

De Principum potestate circa decisiones harum quæst.

§. II. Ab initio quidem dici poterat, dependere decisionem harum quæstionum a cuiusvis Status arbitrio. Huic enim cum potestas legislatoria competat, non potest non determinatio temporis eidem simul relinqui. Nam omnes leges annales sunt positivæ, hoc est, pro lubitu legislatoris mutationi ac correctioni obnoxiiæ. conf. *Dn. Pufendorff. de I. N. & G. L. IV. c. XII. §. 7.* Inde vero clarissime euincitur, in Principum nostrorum potestate esse, an XI. dies in posterum in quæstionibus allatis obseruandas velint an non. Verum & his æquilibrium vtendum, ne vni tempus ampliantes, alteri in iure quæsito præiudicium faciant, contra *L. Nec auus. 4. C. de emancip. lib.* Notanter vero dico *Principum*, non *Principis*, indigitaturus eo ipso, citra mutuas pactiones correspondentiasque vicinorum Principum, rem isthanc multis difficultatibus præpeditam fore. Quamuis enim, si a Principe in territorio suo vndecim dies in præscriptione Actionum aut admissi, aut reprobatifint, quoad subditos parendi lege obstrictos, uulla adsit difficultas, modo, vti dictum, turbatio quæsitifuris, quantum possibile, impediatur. Sat intricata tamen disceptatio foret, si inter diuersorum Statuum subditos quæstio occurreret, vbi vix admittendum videtur, quod Princeps sua dispositione exteris Præiudicium inferre queat. Quodsi enim v. g. in Electoratu Brandenburgico statueretur, hos XI. dies veteris Calendarii in præscriptione non amplius attendendos computandosue esse, in Saxoniciis vero terris contrarium sancitum esset; facile

facile inde litibus ac repressaliis ansa dari posset. Nam si cui Saxonico in Marchia debitum petenti opponeretur præscriptio, hic vero vrgeret sibi XI. dies restare ex iure communi, debitor Marchicus vero replicaret, aliud in Marchia nunc receptum esse; dubium maneret, an repellendus an vero audiendus sit, sicque res eo potissimum rediret, quatenus statuta vnus loci vel territorii afficiant subditos alterius. De quare vid. Per-Illustr. Dn. Cancell. Baro de Frisen *Diss. de Iur. Princip. extr. territ. Cap. 3. Conf. Peschwitz. Diss. de Iur. Reppressal.*

§. III. Non minor difficultas premit alteram opinionem statuentium, quod XI. dies in omnibus computationibus indistincte sint adhibendi. Cui sententiæ suffragari percepimus placita Ratisbonnensia, quæ eo collimant, vt obligationes, vsuræ, capitalia 19. 20. 21. Februarii styl. vet. solvenda, 1. 2. vel 3. Martii & sic consequenter, exigibilia sint. Idem etiam ex *Dania* relatum est, quod scilicet ibi termini obligationum & Chirographorum incidentes in X. Iunii & XI. Decemb. sint prorogati ad 20. Iunii & 21. Decemb. Ast vero an hæc dispositio ad omnes obuenientes casus, citra expressum Superioris mandatum, quadret, valde dubito. Equidem in debitis ordinariis (vbi Creditori tale modicum tempus, vti spatium decem dierum vocat Paulus in *L. Promissor 21. ff. de Constit. pec. obesse nequit*) soluendis, retineri potest, computatio quæ Ratisbonnæ placuisse dicitur, vt scilicet tot dies addantur, quod eiecti. Nam in genere si dies adiectus sit, hoc in fauorem debitoris factum est. *L. Eum qui Calendis. 41. §. 1. ff. de V. O. l. 17. ff. R. I.*

De opinione illorum qui XI. dies adiciendos putant.

§. IV. Verum longe aliud dicendum videtur, vbi mora paucorum dierum debitori indultorum nocere potest creditori, quale quidem contingit in Cambiis ad certum diem restrictis, & quidem talem, qui simul in nundinas incidit. Sic dubitandum ratione facti non est, plura Cambia in Nundinis Lipsiensibus autumnalibus Anno 1699. contracta fuisse sequenti modo: *Auff künfftige Leipziger Michaelis*

Difficultas ostenditur in Cambiis ad nundinas anticipatas destinatis.

Michaellis-Messe Anno 1700. zahle ich auff diesen meinen sola Wechsel-Brief an Meuium oder Commiss die Summa von 100. Thlr. *valuta* von demselben. Vel etiam sequenti modo: den 8ten Octobr. Anno 1700. zahle ich auff diesen meinen sola Wechsel-Brief an Titium oder Commiss die Summa von 2000. Thlr. den Werth von ihm vergnüget. Leipzig den 4. October 1699. Cum vero Nundinæ autumnales Lipsiensium instanti anno 1700. per XI. dies anticipentur, quæritur, an debitor Cambium in anticipatis Nundinis, an vero vndecim diebus postea elapsis soluere teneatur? Sane ex hypothesi in §. *preced.* adducta, posterius omnino dicendum. Sed quantum incommodi inde sentiret creditor in propatulo est, vtpote qui pecuniam in nundinis iterum impendere nequiret. Quod si diceres, aliam rationem esse cambii feriarum die auff Messen gerichtet seyn / aliam platearum, quæ etiam intra Nundinas soluenda: In priori casu non respectum haberi ad diem mensis, sed ad tempus nundinale quandocunque illæ inciderint, vnde in vsuris cambialibus so von Messen zu Messen lauffen respectus non habetur, an nundinæ hoc anno citius an serius redeant, sed ad ipsas nundinas attenditur, vt ibi iterum pecunia impendi possit. Quæ sententia mihi non displicet, & omnino retineri potest. Sed remanet ira dubium de posteriori, vbi non ad nundinas, sed ad certum mensis diem in nundinas tamen incidentem directum est cambium. Hic sane dies sine dubio in gratiam Creditoris statuta, vt pecuniam eo tempore iterum impendere possit; Quod si vero vndecim dies debitori indulgerentur, commodo obligationis sine dubio priuaretur.

Inquiritur an
ex iure com-
muni aut ci-
uili possint
hæ contro-
uersiæ decidi

§. V. Cum itaque hæctenus authentica autoritate nil certi de hac re constitutum sit; ac fieri vix possit, vt indistincte XI. dies veteris Calendarii addantur novæ computationi, quia sic circuli temporum vsq; ad annum XXX. vel XL. futuri seculi turbarentur; sicuti exemplo demonstraui C. 2. §. 19. Hinc periculum facturum sum, annon ex fontibus iuris Romani, subsidia vel saltim adminicula quædam huic negotio inseruientia, deriuari possint. Enim vero quod attinet computationem *anni Romani*

iuridici

iuridici obseruandum est, quod computatio apud Romanos diuersimode sese habuerit. Primum enim annus iuridicus in *continuum & utilem* diuisus fuit. Cuiac. *lib. 2. obs. 18.* In illo omnes dies currunt, nec vllus est qui non connumeratur. Duaren. *ad tit. C. de temp. in integr. restit.* In hoc autem computantur dies vtilis, hoc est vbi experiundi potestas est. *L. 1. l. 6. §. f. ff. qua in fraud. cred.* vel: vbi nullum impedimentum ex parte Actoris, Rei & iudicis est. Donell. *Com. Iur. Ciu. Lib. 16. c. 8.* Secunda anni distinctio fuit in *naturalem & civilem*. In illo temporis a momento sui cursus naturalis vsque ad vltimum momentum siue punctum horæ, computatio facta est. *L. 3. §. 3. ff. de minor.* In hoc civiliter computatur, ita vt qui ad extremum anni diem peruenisset, annum absoluisset. *L. anniculus 134. ff. de V. S.*

§. VI. Enim vero si in genuinam huius computationis diuersæ indolem penitus paulo penetremus, videmur nobis haud transuersum vnguem a veritate aberrare, si dicamus, *odium ac fauorem* negotiorum civilium, huius rei causas extitisse. Hinc Felinus *in c. 26. X. de offic. & potest. iud. regulam* format. *Quum de odio finiendo agitur, prefixum in legibus tempus absolute positum continuum presumitur: Quando vero de favore ampliando, tam tempus adiunctum intelligitur vtile.* vid. Roman. *Cons. 236. n. 7.* Costal. *ad L. 8. ff. de his qui not. infam.* ac fauoris odiique hic in primis rationem habendam esse, suadet Surdus *dec. 189. n. 1.* Idem vero axioma, de computatione anni *naturalis ac civilis* stabiliunt Nicasius *ad pr. Inst. de vsucap. n. 13.* & Costal. *ad l. 3. §. 3. de minor.* asserentes, quod dies incepti pro completis ac civilibus habeantur, quoties negotium vtile est ac favorabile, quoties vero odiosum, toties vltimum horæ momentum requiri ad complementum actus. Quamuis vero Hahnio *ad Wesenb. tit. de Minor. n. 4.* hæc ratio cæci Nicassii itidem cæca videatur, tamen eius rationes non tanti sunt, vt aliquem ab hac opinione dimoueant.

de fauorabilibus ac odiosis in Iure Romano.

§. VII. Confirmat enim nos insuper in opinione hac, (quod scilicet Ius Romanum secundum fauorem aut odium negotiorum, diuersa computatione vtatur;) elegans exemplum diuersitas computationis ob fauorabilia & odiosa.

plum *de die intercalari* cuius mentio fit in *L. 98. ff. de Verb. Signif.* Computatur enim hic dies adiectitius cum Sexto Calendar. Martii tantum pro vno die. vid. Alciatus, Brechæus, Fornerius in *Annot. ad b. l.* Hinc etiam dies intercalaris in anno bissextili saltem pro momento habetur; nec Sextus Calendarum præterisse censetur, antequam totum biduum fit consumptum, i. e. totus bis sextus tam prior quam posterior præterit. Goedd. in *Comm. de V. S. ad d. L. n. 9.* Quare effectu Iuris *Mensis intercalaris* constat ex diebus *viginti octo. d. L. §. 2.* Caue vero hoc putes intelligendum, quasi ex rei veritate siue naturaliter intercalaris mensis haberet dies 28. Nam respectu habito ad cursum solis, omnino 29. dies complectitur. Verum fictione Iuris ciuilis habetur pro nullo die. Cum qua dispositione in hac parte conspirat Ius Canonum in *cap. 14. X. de Verb. Signif.* Hinc *Bissexto* siue *intercalari die* natus, anno, quo intercalatum non est, sextum Calendas Martii suum natalem diem habet *d. l. 98. pr.* vid. Wissenbach. in *Comm. ad b. l. 98.*

Dies intercalaris pro favore aut odio iam omititur iam numeratur.

§. VIII. Quamuis itaque *dies intercalaris* in Februario Iure Romano computatus non fuerit; nihilominus tamen deprehendimus pro varia negotiorum figura ex favore ac odio aditus resultante, recessum fuisse a priori computatione. Quid *favorabilius* in Iure quam libertatis recuperatio, & quid *odiosius* quam constitutiones de seruitute vid. *DD. ad tit. Inst. de L. Fus. Canin. toll.* Igitur in *L. 4. §. 5. ff. de Stat. liber. biduum* non reputatur pro vno die. Vin causam; Favor libertatis. Ponamus ex alleg. *L. 4. Stichus si heredi meo anno seruerit, liber esto.* Quid si conditio hæc incidat in annum bissextilem? qualis nam annus intelligitur, vt conditioni adiectæ satisfecerit, an communis constans 365. diebus, an vero intercalaris constans diebus 366. Respondeo Stichus conditioni satisfecit, si heredi seruerit, per 365. dies, confer. Dionys. Gothof. *ad d. t. l. 4. §. 5. lit. t.* Quæ Iure Romano non otiosa fuit controuersia, cum contingere potuerit, seruum heredem institutum *fuisse, si tempore mortis liber fuerit.* Hæc conditio pro impleta habenda fuisset si forte

si forte testator die intercalari mortuus fuisset. Præterea computationem iuris Romani de intercalari die non numerando, putat Glossa Iuris Canon. in cap. 14. X. de Verb. Sign. locum non habere in penalibus, vtpote odiosis, quæ potius sint restringenda quam extendenda & amplianda cap. odia 15. de R. I. in 6. Quare hanc decisionem communi DD. calculo approbatam videmus. Magis placet inquit Antonellus de temp. legal. lib. 4. cap. 1. (postquam Aretini opinionem reiecisset) aliorum distinctio, videlicet quod in favorabilibus, dies cæpta habeatur pro completa, non autem in odiosis, prout conspirant Bellon. de iis que in continenti sunt. l. 1. c. 94. n. 20. & DD. communiter in L. 3. §. minorem ff. de minor. Grat. Discept. For. c. 161. n. 27. Idque in mensibus etiam procedere, asserunt Balb. de Presir. 3. p. 6. pr. qv. 1. n. 11. Fenut. de moment. c. 30. n. 10.

§. IX. Cum igitur ius Romanum computauerit tempus iuridicum prout in negotio favore vel odio digno locum inuenit; quid prohibet quo minus ductum eius secuti, iuxta l. 13. ff. de LL. accipiamus bonam occasionem, & cum l. 12. ff. eod. ad similia, h. e. casus præsentis, procedamus. Tali vero ratione ante omnia inquirendum nobis esset, quid favorabile quid odiosum sit in iure communi. Ast heic sentio inextricabili fere labyrintho memet commisisse. Constat enim quam acute aliquando hoc ventilatum, & quam sapienter abusus huius rei detecti sint. Favorabilia esse amplianda, odiosa restringenda, brocardicum iuris Canonici est in C. odia 15. de R. I. in 6. quod hætenus in omnium ore, paucorum intellectu fuit, instar cerei nasi modo in hunc, modo in alium sensum flexum ac distortum. Quare vt dicam quid sentiam, puto favorabilia ac odiosa non in Interpretum cerebro, sed in ipsis Legibus earumque rationibus, & ex intentione Legislatoris querenda esse, extra quarum pomeria terminos favorabilium producere, esse perniciosè errare.

§. X. Cum vero, vti antea dictum, vix favor iuris ostendi possit, qui non aliquid odii contineat, inde in determi-

Applicatus
computatio
Iur. Rom. ad
præsentis
quæstiones.

Regulæ de
causa fauorabili & odiosa.

G

nan-

nanda hac materia, vti alias quoque moris est, a potiori faci-
enda determinatio, quam sequenti modo exponere lubet: Quo-
ties primaria Legislatoris intentio commodum vnius respicit,
cuius intuitu legem tulit; toties hoc fauorabile est, licet per-
consequentiam alterius incommodum concurrat. Quoties ve-
ro lex intendit vindictam, seu pœnam facti commissi, aut onus,
licet hoc ipso commodum alterius simul promoueat; toties hoc
pro odioso reputandum. conf. Pufend. *de Iur. Nat. Gent. Lib. V.*
C. 12. §. 12. 13. H. Grot. *de I. B. & P. I. II. c. 16. §. 10.*

Applicatur
ad Quæstio-
nes Cap. II.

§. XI. His regulis fundamenti loco suppositis iam di-
cendum existimo, in causis fauorabilibus XI. hos dies non ad-
iiciendos, sed pro impletis reputandos esse, & sic ad diem e-
mendati Calendarii negotium præcise restringendum esse. Per
exempla hoc demonstrandum. *Ius Patronatus*, de quo dictum
Cap. II. §. 3. vt hoc intra certos menses exerceatur, ad fauo-
rem Ecclesiæ pertinet, vt eo citius ipsi de Ecclesiæ Ministro
prospiciatur, nec animarum cura negligatur, hinc in casu ibi
proposito puto esse decidendum, quod Patronus Calendis
Martii iuxta Calendarium emendatum comparentibus, ius
vocandi pro illa vice amiserit. Nam sibi imputet, quod Eccle-
siam tandiu pastore orbatam reliquerit. Nec obest, quod
hæc res simul concernat odium Patroni, quod tanto tempo-
re iuris sui negligens, eodem hac vice priuandus sit: praualet
enim utilitas Ecclesiæ, in cuius fauorem iuris amissione priua-
tur Patronus.

de maioren-
nitatis Princi-
pum com-
pleta absque
XI. diebus.

§. XII. Quod *annos maiorennitatis* attinet; cum horum
implementum fauorem manifestum contineat, quo Princeps
prouincias suas regere, priuati vero rebus suis superesse possint
& a Curatorum administratione liberentur, inde non dubito,
Principem Electoralem de quo dixi *cap. II. §. 12.* annum 18.
compleuisse ad acceptandum regimen Prouinciarum his XI.
diebus detractis. Idem dicendum de aliorum Principum fi-
liis de quibus *cap. II. §. 13.* Et quamuis hic quoque præiudicium
Curatorum concurrat, quod scitius commodo administratio-
nis

nis priuentur, tamen hoc parum mouet, cum tutela debeat esse gratuita, salua hinc iustitia commodum aliquod pratendere vix valebunt, sed potius sibi gratulentur, quod onere administrationis liberentur tali ratione citius.

§. XIII. Sed quid dicendum erit de termino *beneficii restitutionis in integrum*, tam Ecclesie quam Minorum aliorumque de quibus dictum *Cap. II. §. 6. 10. & 11.* Sane si maiorennitas computanda detractis XI. illis diebus, etiam quadriennium petendae restitutionis tot diebus carebit. Certe nemo forte in dubium vocaret, ad fauorabilia hanc restitutionem pertinere, & hinc regulæ superiori insistendum esse; sed temperamentum hic addendum erit, nisi ex interpretatione fauorabilium redundet, damnum in ipsum cui fauere voluerint iura: nec enim quod fauore alicuius introductum, in eius odium detorquendum. *L. Quod fauore 6. C. de LL.* Dico itaque, hic subsistendum esse in iure communi, & tot dies, quot maiorennitatem anticipauit, quadriennio addendos esse.

De beneficio
restitutionis
in integrum.

§. XIV. Huc quoque refero *testamenti factionem* quam competere existimo elapsis a natiuitate XIV. annis, his XI. diebus detractis, de quo casu actum *Cap. II. §. 7.* Nec enim dubium est, testamentum in iure nostro fauorabilibus adscribi, adeo ut nemo suo pacto sibi testandi licentiam adimere possit. *L. fin. C. de Pact. L. vlt. ff. de suis & leg. her. L. cum duobus 52. §. 9. ff. pro soc.* & quamuis etiam hic insigne præiudicium Agnatorum concurrat, utpote qui successione ab intestato priuantur ante tempus; attamen hæc læsio non meretur attendi, cum ex incerto mortalitatis euentu pendeat, & inde tantum ius quærendum non quæsitum habeat, cui lege publica præiudicari posse, extra controuersiam est. Sed cum *substitutionis* etiam *pupillaris* fecerim mentionem *cap. II. §. 9.* hanc ob eandem rationem expirare puto subtractis his XI. diebus.

Afferitur in
testamenti
factione pu-
beribus non
obscure XI.
dies.

§. XV. Idem dicendum de pœnarum ad certum tempus inflictarum termino: Ex. gr. Si quis ad *annum* relegatus: ad *biennium* confinatus: ad *triennium* in opus publicum damnatus: ad *quadriennium* carceri mancipatus: & si quæ alia tempora-

Pœnarum ad
certum tem-
pus inflicta-
rum periodus
expirat per

emendatum
Calendari-
um citius.

lium pœnarum genera sunt, quæritur, *an pœnarum finis, detra-*
ctis illis XI. diebus, existat? Pœnarum remissio sine dubio fauo-
rem delinquentis respicit, hinc illæ restringendæ non amplian-
dæ: Quapropter iuxta regulam superius traditam, dies illi
profunt condemnato, vt finem pœnæ, istis detractis, expectare
possit.

In Emphy-
teusi Ecclesi-
astica com-
putantur XI.
dies.

§. XVI. Progredior iam ad alteram illam regulam, quæ
fundamenti loco §. X. supposita est, dicendo, in causis odiosis
dies hos XI. pro completis non reputari, sed tot dies termino
emendati Calendarii addendos esse. Huc refero casus omnes,
quoties de priuatione iuris alicuius agitur, vel pœna alicui in-
fligenda. Sic e. gr. in *Emphyteusi Ecclesiastica* de qua dictum,
Cap. II. §. 5. elapso biennio, & canone non soluto, priuatio lo-
cum non habebit, nisi his XI. etiam diebus completis. Nec ob-
sunt illa, quæ de iure patronatus amittendo diximus §. XI. Dis-
par enim hic ratio est. Ibi animarum salus maturationem vr-
get, quæ omnibus rebus Ecclesiasticis potiores sunt. vid. *L. 14.*
& l. 21. C. de SS. Eccles. Hic vero ex hac modici temporis mora,
nil commodi sustinet Ecclesia, si modo intra hos XI. dies cano-
nem offerat Emphyteuta, cum hic moræ purgatio non omnino
interdicta sit, *cap. fin. X. loc. Carpz. P. 2. C. 38. d. 12. n. 9. Corbul.*
de Iur. Emphyt. qu. 15.

In Præscri-
ptionibus XI
dies compu-
tandi.

§. XVII. Porro huc refero *Præscriptionum terminos*, qui
omnes in odium negligentia constituti, quicquid etiam DD.
hic supponant de Vsucapione triennali fauorabili, de tricen-
nali odiosa & de longi temporis mixta, de quo Wesenb. *ad tit.*
de Vsucap. Nullo enim alio quam negligentia punitæ titulo
præscriptionum & vsucapionum materia sufficienter defendi
poterit, vtpote quæ alias in solo temporis lapsu se fundans
impium ab ipso Imp. vocatur præsidium in *Nou. IX. princ.* Cum
itaque hic ob negligentiam quis iure suo priuandus, non
completæ erunt præscriptiones & vsucapiones, nisi his XI.
diebus iterum additis. Nam & huc pertinebit iuris nostri
decisio: Non valenti agere (etiam intra certum tempus) illi
interim non currit præscriptio *L. 1. C. de annal. except.* Huc i-
taque

taque refero decisionem casuum *cap. II. §. 8. 15. 19. 23.* propositorum.

§. XVIII. Vnicum tantum remanet dubium circa *prescriptionem Criminum* de qua dictum *cap. II. §. 2.* an adulter ab inquisitione immunis sit elapso quinquennio, sed XI. illis diebus adhuc deficientibus, vel an fur suspendendus qui ante annos 19. & 360. dies furtum commisit? Sane reip. interest ne delicta maneant impunita. *L. ita vulneratus. si. §. quod si quis ff. ad L. Aquil. & facinorosis hominibus purganda prouincia. L. congruit 13. ff. de offic. Praef.* Attamen cum iura nostra procliuora sint ad absolendum quam condemnandum *L. absentem s. ff. de poen. L. favorabiliores. L. semper in obscuris. ff. de R. l. & sanctius sit absoluere nocentem quam condemnare innocentem, Cardin. Tusch. pract. concl. lit. A. concl. 41. n. 1.* inde hos dies potius omittendos, quam attendendos esse censeo, si reliqua praescribendorum criminum requisita non defecerint. *conf. Mascard. de probat. concl. 36. n. 8.*

In Praescriptione Criminum XI. dies omittendi.

§. XIX. In materia *stipulationis poenalis* seu poenae conuentionalis, de qua actum *cap. II. §. 15.* decisionem non adeo difficilem esse puto cum ad regulam de odiosis pertineat. Poena enim hic indicitur ob moram, quod statim die non soluerit, atqui vero quod quidam dies detracti hoc moram debitoris augere nequit, sed ipsi potius excusationem praebet, quod spatium ipsi ademptum, statim mensis die soluendi: Restituendi ergo ipsi hi dies subtracti sunt, quo creditori suo satisfacere & poenam conuentam euitare possit. Nec dispar ratio usurarum est, de quibus dictum *Cap. II. §. 16.* Nam & haec plerumque propter moram debentur. *L. mora. 32. §. 2. ff. de usur. Mora autem cessat, ubi tempore uti non potuit. arg. l. 21. ff. de usur.*

In poena conuentionali XI. dies numerandi.

§. XX. Transeo iam ad ipsos Contractus, quorum implementum sine dubio favorabile est, sed & rigida termini constituti obseruatio odium continet. Quid ergo hic faciendum, habebuntur ne xi. dies pro impletis vel implendis adhuc? Sane hic deliquium pati videntur regulae antea propositae. Nam

De Contractibus.

diem in debitoris fauorem adiectum esse, *supra* §. III. iam probatum est, per *L. si calendis 41. ff. de V. O.* in tantum vt ne quidem ipso die veniente, in quem promissio facta est, debitum peti possit, sed demum die sequenti; cum totus iste dies arbitrio soluentis tribui debeat. §. *omnis stipulatio 2. I. de Verb. Obl.* In fauorabilibus autem xi. dies pro completis haberi *supra* §. III. dictum est. Verum cum anticipatio termini solutionis incommodo afficiat debitorem, & ipse ex lapsu temporis non quærat beneficium, sicut quidem §. XII. de adepta maiorenitate dictum est, sed ad onus æris alieni soluendi adstringatur, quæ solutio sine dubio onerosa ipsi est, & hinc beneficio totius temporis non priuandus. Accedit ratio illa, quod, quando aliquid in fauorem alterius statutum sit, hoc in odium eius non sit, detorquendum. *L. 6. C. de LL. l. 25. ff. de LL. Cap. quod ob gratiam 61. de R. I. in 6. Vulteius Cons. Marburg. Vol. 3. cons. 19. num. 159. Thoming. Cons. 9. n. 41.* Quapropter subsistere possunt regulæ nostræ, si dicamus, in fauorabilibus dies detractos pro completis haberi, nisi hæc interpretatio tendat in præiudicium illius, cuius fauori lex consultum voluit. Hoc etiam vindicabit sibi locum in *Cambiis platearum* siue ad nundinas non restrictis, quorum terminus est *a Vista*, h. e. visis literis Cambii ad momentum & in continenti exposcens solutionem, de quo *antea* §. 4.

De Nundinis.

§. XXI. Restant Nundinæ quæ fauorem sine dubio Ciuitatis continent, cui ius nundinarum indultum. Verum hæc res facile expediri poterit, cum omnis circa has oritura contentio instante mense Februario & Martio absoluatur: Si enim intra XI. dies illos Februario detractos celebrandæ nundinæ, quarum quasdam recensuimus *cap. II. §. 21.* referantur in primos Martii dies, & qui in Martiis diebus habendi, anticipentur & ita simul instituantur, res in posterum salua erit, nec enim res tanti præiudicii erit si eodem tempore in diuersis locis habeantur nundinæ. Sic ergo, cum retento priori Calendario, Nundinæ Francofurtanæ ad Oderam incidissent 25. Februarii, illæ remotis istis diebus habebuntur die septimo Martii. Et cum

cum Nundinæ Francofurtanæ ad Mœnum iuxta veterem computum incidissent in diem 17. Martii, futuro anno habebuntur die 28. Martii. Lipsienses autem quæ incidissent in d. 21. Aprilis habebuntur die 2. Maj. Atque sic cum pleræque nundinæ respectum habeant ad Festa proxime præcedentia, hæc vero jam in utroque Calendario conueniant, nundinæ in posterum turbari nequeunt.

§. XXII. De Anno Saxonico supra quoque iniecta est mentio *Cap. II. §. 24.* sed cum illius anni lapsus ad materiam præscriptionis pertineat, eadem decidendi ratio hic suberit, quæ superius adducta est §. X. Sed quid de *Calendis Martii* ex quibus mors vasalli quoad excludendos heredes allodiales a fructibus feudi attenditur, juxta illa quæ dicta *Cap. II. §. 22.* Resp. hic nec fauoris nec odii quæstio concurret, sed res medi generis est, ex determinatione Legislatoris dependens, quem terminum hic pro arbitrio constituere velit. Non errabimus forte si dicamus, hic Calendas Martii ad ductum Calendarii emendati attendendas esse. Detractis enim his XI. diebus, status cœli & sic quoque agriculturæ reducitur ad illud tempus; quo Longobardi illum diem huic negotio decidendo præfinierunt, quod ante annos propemodum mille factum esse omnino verisimile est: Interea autem temporis tot fere dies anni computationi accreuerunt, quot hodie detrahuntur, ut hinc Calendæ Martii per emendatum Calendarium XI. diebus anticipatæ Longobardorum iuri quam maxime conueniant.

De anno Saxonico, & Vasallo decedente Calendis Martii

§. XXIII. Demum ad illum me confero casum quem primo loco inter dubios retuli *cap. II. §. 2.* de Mensibus scilicet Papalibus & Capitularibus. Si enim illos XI. dies Februario detractos Capitulo demeres & Martium anticipares, sine dubio Capitulum de tertia Mensis parte sibi adempta iustam querendi causam haberet, ut adeo si æquitatis hic habenda ratio, dies detracti ex Februario inter Capitulum & Papam sive Principem dividendi videantur. In perplexis enim diuisionem in auxilium vocari a Jctis, non est incon-

Dies XI. in mensibus papalibus non computandi sunt.

sue-

fuetum. vid. Dd. ad §. 25. *f. de Rer. Div. Cuiac. 17. obs. 21. Boer. Decis. 239. Bachov. ad §. ult. ff. qui & ex quib. caus. maior.* Verum cum in hoc negotio non dierum, sed mensis habeatur ratio, nec anticipare Martium possit Pontifex, si Februario intercalaris dies accedat, sed augmentum hoc sit Capituli, eius quoque decrementum esse debet. Nec habet de quo conqueratur valde, cum anticipatis Martii Calendis, anticipentur quoque Calendæ Aprilis, vbi iterum ad Capitulum redit ius conferendi beneficia.

Quid attendendum circa decisionem harum quæstionum a Principe factam.

§. XXIV. His omnibus libratis, nullum dubium remanet, Principem in plerisque casibus regulam præscribere posse quæ in iudiciis sequenda, modo, vti supra dictum est, in præiudicium vicinorum id non vergat, aut etiam quo ad subditos ipsos lex in tempore feratur, non vero casu iam existente; durum enim est præteritis negotiis legem præscribere velle *L. 7. C. de LL.* Futuræ vero subiacent libero legislatoris arbitrio, cum hic nemini hæctenus ius quæsitum sit.

Epiphonema

§. XXV. Hæc sunt quæ exercitii Academici gratia protulimus, non vt decidendi nobis licentiam arrogaremus; sed vt hæc altius perpendendi, suppeditaremus illis ansam, qui nodos hosce gordios Alexandri gladio, seu legislatoria autoritate resolvere possunt. Nos interim inter Christianorum **IVBILA**, de transacto **SECULO DECIMO SEPTIMO** Deo gratias agimus ex intimis cordis penetralibus, quod inter tot beneficia, etiam lucem Euangelicam, obfuscatam antea, puram hucusque conseruauerit. Faxit porro Summum Numen, vt **Orthodoxia siue DOGMATVM PVRITATE** ita vtamur, ne, **VITÆ PVRITATE** neglecta, æterni illius **IVBILÆI**, quod coram Throno Saluatoris expectandum est Christianis, non vanis, sed ingenuis, reddamur incapaces.

S. D. G.




ULB Halle
004 767 136


3



V017







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.

55

170

2

5
TIO IVRIDICA
DE
L. DIERVVM
NDARIO
ACTARVM.

Quam
GNIFICENTISSIMO,
PRINCIPE AC DOMINO,
DN.
O WILHELMO,
ENBURGICO, ELECTORATVS
DE, ac reliqua,
Æ S I D E
UNNEMANNO,
Licentiato,
MDCC. H.L. Q.C.
disquisitioni subiicit
ELMVS von dem Busch/
Gvestphalus.

ANDR. ZEITLERI, Acad. Typ.

